COMMENTATIO

N° 107.

BOTANICO-MEDICA

DE POTENTILLA,

Necnon de Plantis huicce generi affinibus et in usum medicum tractis,

Quam pro gradu Doctoris Medicinæ rite obtinendo inclytæ Facultatis Medicæ Parisiensis examini submittit et die sexto mensis junii tueri conabitur,

C. G. NESTLER, Argentinensis.

Admodum obscuri sunt Botanici in historia Pentaphyllorum.
RAY. *Hist. plant.* 1. p. 612.

PARISIIS,
EX TYPIS DIDOT JUNIORIS,
Typographi Facultatis medicæ parisinæ.
1816.

FACULTAS MEDICA PARISINA.

Professores.

D. LEROUX, Decanus
D. BOURDIER.
D. BOYER.
D. CHAUSSIER.
D. CORVISART.
D. DEYEUX.
D. DUBOIS.
D. HALLÉ.
D. LALLEMENT.
D. PELLETAN.
D. PERCY.
D. PINEL.
D. RICHARD, *Præses.*
D. THILLAYE.
D. DES GENETTES.
D. DUMÉRIL, *Examinator.*
D. DE JUSSIEU, *Examinator.*
D. RICHERAND.
D. VAUQUELIN, *Examinator.*
D. DESORMEAUX, *Examinator.*
D. DUPUYTREN, *Examinator.*
D. MOREAU.
D. ROYER-COLLARD.

Decimo nono frimarii mensis die, anno 7, Scholæ medicæ Professores opiniones in dissertationibus exhibitis emissas auctoribus proprias habendas esse, et illas à se nec approbari nec improbari, statuerunt.

INTRODUCTIO.

Abhinc plures annos, Botanici, gloria magis novorum inventorum abrepti, quam sincero scientiæ amore ducti, in universum plantarum cognitarum examen nimis neglexerunt. Variæ tamen Monographiæ, aut generum quorundam, aut familiæ unius, insignem usum, quem Botanica ex iterata recensione optimorum omnibusque numeris absolutorum operum trahere possit, demonstrarunt.

Quot obscuritates illustrandæ! quot errores emendandi! quot correctiones et supplementa addenda! Disquisitiones hunc in scopum directæ, nonne æque utiles, nec non æque honorandæ sunt, ac illæ quæ vegetabilium jam dudum cognitorum numerum novis augere student?

Hæc sunt quæ cogitavi, quæque primum animum moverunt Monographiam quandam exarandi. Cum in eo sum ut pro gradu Doctoris Medicinæ thesim proponam, primos in curriculo botanographico passus faciendos credidi, ut genus tam numerosum quam obscurum *Potentillæ* enuclearem. Sed antequam ad dissertationis opus ipsud me accingam, satius duxi observationes quasdam generaliores de familia naturali ad quam pertinent præmittere.

Cl. Richard, cujus est in me singularis benevolentia, amico animo observationes suas communicare mihi voluit. Non solum in manuscriptis suis characteres familiæ generumque inspiciendos permisit, verum etiam in iconum

locupletissima collectione, eas, quas pro hujus schedæ exaratione aptissimas ducerem, eligendas obtulit.

Tabula prima quatuor generum figuras analyticas repræsentat; quæ, pari numero in duabus sectionibus divisionis quam adoptavi sumpta, ad reliqua omnia illustranda sufficient. Intimo convictus animo de utilitate imo et necessitate talium figurarum, quæ, omnium modorum, physicas ideas posteris fideliter transmittendi, aptissimum ministrant, lubens propositionem cl. *Richard*, eas æri nempe incidendas, accepi.

Quod selectus mei rationem attinet, hæc est : primum genus primarium dissertationis subjectum est, et tria reliqua hucusque non nisi imperfecto modo sunt cognita.

Luculenta hujus tabulæ primæ explicatio utile mihi videtur esse proëmium observationum in familiam *Rosacearum* sequentium. Lectori materiam substernet quo facilius hasce observationes intelligat, saniusque eas dijudicet. Mihimet ansam præbebit ut valorem idoneumque usum terminorum quorumdam technicorum explicem, quibus in pertractanda mea dissertatione utar. Convenit igitur ut ab initio proponam.

TABULÆ PRIMÆ EXPLICATIO.

Nota. Litteræ minusculæ partes nativa magnitudine, majusculæ auctas designant.

POTENTILLA (*verna*).

a. FLOS integer, explicatus : 1, calyx : 2, petala, obcordata, calyce longiora, summo istius tubo extra stamina inserta.

B. Calyx postice conspectus : 1, 2, 3, 4, 5, hujus laciniæ : 6, 7, 8, 9, 10, parvula folia floralia, ad incisuras ut et extra posita; quæ perperam pro laciniis illius habita, nominavi *Bracteolas*.

C. Calyx una cum genitalibus sectione longitudinali dimidiatus : 1, stamina summæ illius concavitati circulariter inserta et ideo perigynica, laciniis manifeste breviora. 2, receptaculum ex centro imi calycis insigniter prominens : 3, pistilla huicce affixa, numero indefinito.

D. Stamen : 1, filamentum : 2, anthera introrsum conspecta.

E. Idem ; anthera, 2, a postica facie visa, imo connectivi (i. e. partis loculos connectentis) dorso affixa : loculi oppositi, sulco veluti marginali dehiscentes.

F. Pollinis particulæ, ovatæ.

G. Pistillum : 1, particula receptaculi pilos ovariis longiores emittentis : 2, ovarium subrotundo-ovatum, inæquilaterale, glabrum;

puncto adnexionis obliquo, aut etiam præsertim, in pistillis C, 3; H, inferioribus, veluti laterali: 3, stylus, ex interno margine ovarii infra hujus verticem oriundus, introrsum sulco longitudinali exaratus: 4, stigma, a marginibus summi sulci ibi tantisper expansi incrassatis et subtilissime glandulosis confectum.

I. Pistilli sectio longitudinalis: 1, ovulum subreniformi-ovatum, lateraliter adnexum versus basin styli 2; ita tamen ut punctum adnexionis minus a vertice distet, unde ovulum est *appensum*.

k. Calyx fructifer, una cum receptaculo fructuum, longitudinaliter dissectus: 1, hi receptaculo, 2, exsucco affixi.

L. Unus e fructibus, 1, subgloboso-reniformis, glaber, recens lævis, siccatus vix manifeste rugillosus; 3, punctum adnexionis laterale et stylo, 2, persistenti proximum.

M. Fructus, salvo semine, longitudinaliter dissectus: 1, pericarpium dilute stramineum, exsuccum; extus tenuissime subcarnosum; intus induratum veluti in testam, tenuem, subosseo-cartilagineam; non dehiscens: 2, semen, hinc versus styli, 3, basim adnexum sive appensum; tegumine proprio seu *epispermio* rufo.

Fructus ille, ex ovario uniovulato proveniens, cujus pericarpium siccum aut subexsuccum non dehiscit, et unicum semen proprio tegumine distincto vestitum continet, a recentioribus botanicis cl. *Richard* præcepta secutis, dicitur *Akenium*.

N. Embryo; epispermicus (i. e. albumine destitutus et a solo epispermio tectus); directione seminis s. ratione pericarpii inversus: 1, cotyledones binæ, subrotundæ, plana facie accumbentes, dorso modice convexæ: 2, radicula, brevis, obliquata, obtusa.

WALDSTEINIA (*geoides*).

a. Flos integer : 1, calyx ; 2, petala, eo longiora.

b. Calyx ; tubo turbinato ; laciniis semilanceolatis, nonnullis sæpe ad apicem bi-tridentatis : 1, bracteolæ, minutæ, lanceolatæ.

c. Petalum, abrupte et minutissime unguiculatum.

D. Calyx genitalifer juxta longitudinem dissectus : 1, stamina, numerosa, fere longitudine calycis, summo hujus tubo inserta : 2, marginulus crenulatus, introrsum staminum sedem cingens : 3, pistilla duo-quatuor, calycis fundo affixa, stamina altitudine æquantia.

E. Anthera introrsum visa ; loculis appositis, sulco longitudinali dehiscentibus.

F. Eadem a dorso, cujus paulo infra medium adfixa est filamento, conspecta.

G. Unum e pistillis : 1, stipituli cylindrici singula ovaria singulatim fulcientes et ima parte coalescentes : 2, ovarium oblongo-obovatum, pubens : 3, stylus excentraliter terminalis, longissimus, omissa summa parte pubens.

H. Ovarii longitudinalis sectio : 1, ovarium crassum, ima parte solidum : 2, ovulum, fundo loculi suboblique affixum, sive suberectum.

I. 1, summa styli pars : 2, stigma.

k. Calyx fructifer dissectus ; persistentibus staminum filamentis, ipsius lacinias longitudine æquantibus.

L. Akenium, minutissime pubens, globosum, umbilicatum, ad basim solidam abrupte attenuatum ; non styliferum.

M. Idem dissectum, salvo semine : 1, pericarpium, crassius-

culum, uniformiter subcarnosum, nec intus induratum : 2, semen, globosum, erectum.

N. Embryo, epispermicus, globosus, ad apicem retusus; uti semen erectus : 1, radicula brevissima, bases cotyledonum simpliciter connectens, nec ulla coarctatione ab iis distincta : 2, cotyledones, subhemisphæricæ.

COMAROPSIS (*fragarioides*).

DALIBARDA *fragarioides*. AUCTOR.

a. Flos : 1, Calyx, bracteolis destitutus : 2, petalum, non unguiculatum : 3, stamina.

B. Calyx genitalifer dissectus, tubo oblongo-turbinato : 1, stamina filamentis persistentibus; 2, horum insertio et marginulus eam introrsum definiens : 3, fundus calycis subconvexus, prolixe pilosus : 4, pistilla, duo-quinque, stipitulata.

C. Anthera, submedio dorso affixa.

d. Akenium, oblongo-obovatum, stylo deciduo nudatum.

E. Akenium salvo semine dissectum : 1, pericarpium tenue, exsuccum, uniformiter subcarnosum : 2, semen, erectum, oblongo-subpyriforme.

F. Embryo, uti semen erectus, teres : 1, cotyledones obovales : 2, radicula brevissima, basibus illarum paulo angustior, recta.

NOTA. Hujus generis affinitas summa cum præcedente; a quo differt, præprimis defectu bracteolarum; præterea, petalis non unguiculatis, pericarpii basi, radicula discreta.

DALIBARDA (*violæoides*).

RUBUS *Dalibarda*. LINN.

a. Flos integer : 1, pedicellus; 2, calyx; 3, petala.

b. Idem, subtus visus : 1, calyx bracteolis destitutus; laciniis nonnullis ad apicem 2—5 dentatis; tubo vix ullo : 2, petala, calyce longiora.

c. Petalum, oblongo-ovale, sessile.

D. Calyx genitalifer, dimidiatus : 1, stamina numerosa, calyci æqualia et partim eo sublongiora : 2, tubus, s. potius ima calycis pars concava : 3, pistilla, quinque-decem; fundo calycis immediate et distincte affixa; staminibus dimidio breviora.

E. Stamen, anthera postice visa.

F. Pistillum : 1, ovarium, villosum, oblongo-ovatum : 2, stylus, marginem interiorem terminans.

g. Calyx fructifer, demum solito cernuus.

h. Akenium.

I. Calycis fructiferi sectio : 1, calyx, laxe fructus involucrans; staminibus deciduis nudatus, interdum tamen nonnullis passim persistentibus filamentis : 2, akenia, fundo calycis subconcavo immediate affixa, oblongo-ovoidea, leviter compressa, minutula pube adspersa, introrsum ad apicem brevissime stylifera.

K. Akenii sectio longitudinalis : 1, pericarpium; extus ex membrana pellucida demum solubili et vix manifesta carne exsiccabili; intus induratum in nucem tenuissimam, vix rugellosam,

subosseo-cartilagineam : 2, semen, appensum : 3, ejus adnexio : 4, stylus.

L. Embryo, epispermicus, homotropus (i. e. directione seminis) : 1, cotyledones, obovales, retusæ : 2, radicula discreta, inclinata, cylindrica.

DE POTENTILLA

MONOGRAPHIA.

I.

HISTORIA BOTANICA.

Antiquiores botanici, illique nostri ævi immortalem *Linnæum* præeuntes, *Potentillas*, respectu foliorum numero communi petiolo insidentium, sub *Pentaphyllo* vel *Quinquefolio*, et *Fragaria* descripserunt.

Rayus (1) de pluribus familiæ Rosacearum generibus in classe decima quinta methodi suæ, plantas semine nudo polyspermas enumerante, verba fecit.

Rivinus (2), excepta Tormentilla, *Rosaceas* in classe sua quinta, de floribus perfectis simplicibus regularibus pentapetalis, congregavit.

Sed ad Tournefortium accedimus, verum scientiæ fundatorem, qui primus methodum insignem et genera bona instituit, quæ successores forte nimis sæpe neglexerunt.

(1) Hist. plant. Londin. 1693, fol. 1, p. 578.

(2) Ordin. natural. plant. 1699.

Noster hic (1) *Rosaceas* in classi sexta proposuit, de herbis et suffruticibus flore rosaceo; maxima pars generum quæ hanc familiam componunt septimæ sunt sectionis, sed methodo sua coactus, genera *Rubus* et *Rosa* in classem vigesimam primam detrusit, nempe de *arboribus* et *fruticibus* flore *rosaceo*.

Perillustris vir, cum a sola florum figura methodum suam desumserit, classi suæ sextæ, præter Rosaceas veras, alia huic familiæ valde aliena genera adscripsit.

« Genera herbacea arboreis et frutescentibus recte consociata in diversis ordinibus et præcipue in Rosaceis, caducam arborum et herbarum distinctionem in perpetuum subvertunt » (2).

Excepto *Sibbaldiæ* genere, Linnæus *Rosaceas* ad classem suam duodecimam seu Icosandriam, ordinemque polygyniam retulit, dempta etiam *Agrimonia*, quam systematis compagine raptus ad undecimam classem s. Dodecandriam removit.

Eadem hac ratione *Sibbaldia* Potentillis proxima, ob staminum numerum quinarium ad quintam suam classem seu Pentandriam migravit. Inter fragmenta methodi naturalis quæ Linnæus proposuit (3), Rosacearum genera genuina familiam trigesimam quintam, de plantis senticosis (i. e. spinis præditis) constituunt.

Waldsteiniæ genus Geo valde affine, ob numerum saltem variabilem pistillorum b. Willdenowius (4) Icosandris digynis associavit.

Adanson (5), in opere merita laude sæpe nimis defraudato, genera Rosis affinia in familia quadragesima prima exposuit. Duce Tournefortio Potentillæ genus a Quinquefolio separavit, sed Tor-

---

(1) Inst. Rei herbar. p. 294.

(2) De Jussieu. Gen. Plant., p. 344.

(3) Philosoph. botanic. ed. Willdenow. p. 28.

(4) Spec. plant. II. p. 1007.

(5) *Familles des Plantes.* II. p. 286.

mentillam priori generi junxit ; Agrimonoidem Tourn. (nostram Amoniam) e contrario ad Agrimoniam retulit.

Hujus familiæ sectio prior *Sanguisorbæas* de Jussieu complectitur, excepta Alchemilla, ad alias relata Rosaceas, ex quibus alteram sectionem constituit, adjectis generibus *Spiræa* et *Calycantho*, quorum prius ab illis capsula polysperma discrepat, alterum vero secundum observationes cl. DE JUSSIEU, novi ordinis typum præsignificat (1).

Apud ill. DE JUSSIEU (2) Rosaceas ordo decimus classis decimæ quartæ, plantas dicotyledones polypetalas staminibus perigynis continentis, complectitur.

Subdivisit ordinem hunc in plures sectiones, quæ merito totidem familias distinctas constituere debuerunt ; quod ipse præsensit, quippe qui nomine proprio aut collectivo salutavit singulas.

Harum omnium familiarum examen, quarum characteres denuo elaborandi essent, operam æque longam ac difficilem numerosasque perquisitiones requireret, quas hoc temporis momento facere non licet, easdem veluti materiem operis in posterum prodituri reservare satius duxi. Unicam itaque sectionem *Potentillarum* nuncupatam enucleare mihi est animus.

Præter genera quæ cl. DE JUSSIEU in hac sectione congregavit, duo alia ab eodem *Sanguisorbæis* adscripta huc referenda censeo, Agrimoniam nempe et Sibbaldiam.

Agrimonoides Tourn., secundum observationes manuscriptas ill. RICHARD genus adeo distinctum constituit, ut mirum sit id hodiernos Botanicos nondum restituisse, neglecto Jussiæi monito (3).

Ex prioris summi Botanici sententia et Rosæ genus inter *Potentillæas* collocandum : character nimirum ob quem Botanici illud sejunxerunt, genericus tantum est.

---

(1) A. L. De Jussieu, *Mémoire sur les Monimiées*, *Annales du Muséum*, *t.* 14, *p.* 116.

(2) Gener. plant. p. 334.

(3) Ibid. p. 336.

Cl. de Candolle, in opere nuper in lucem edito (1), divisionem Rosacearum proposuit, quæ ab illa perill. de Jussieu nonnisi nominum quorumdam mutatione recedit; b. Ventenat secutus voces *Dryadeæ Agrimoniæque*, *Potentillæis* et *Sanguisorbæis* substituit, nominum permutatio, quæ a nonnullis Botanicis non nimia laude elata est.

Nomen *Drupaceæ*, ex Linnæi mente restitutum, nulla emolumenti ratione videtur præferendum *Amygdalæis* Jussiæi, aut *Prunaceis* Prof. Richard.

Familia igitur quam perlustrare nunc libet, ex omnibus Potentillæis Juss. et ex parte Sanguisorbæarum et Rosacearum ejusdem componitur.

Ut principium in universum receptum sequar, nomen nempe familiæ ex illo generis quam maxime noti deducere; pro ea quam pertractabo, vocem *Fragariaceæ* proponam.

Rectius sane illam *Rosacearum* apellarem familiam, utpote quæ Rosam ipsam comprehendit, sed vocem istam compagini familiarum designandæ diutius usitatam in novum usum nolui divertere

CHARACTER FAMILIÆ.

Classis. — *Dicotyledones seu Exorhizæ, polypetalæ; insertione perigynica.*

Fragariaceæ sive Rosaceæ (*veræ*).

Calyx quinquedivisus (raro quadri-pluri divisus); sæpe extus ad incisuras limbi bracteoliferus. *Petala* tot quot divisuræ calycis. *Stamina* plurima, indefinita; rarius numero laciniarum calycinarum iisque opposita: materies staminifera (discus peristomicus) summum illius tubum annulatim incrassans, aut rarius faucem foramine centrali perviam obturans. *Pistilla* duo aut plura; vel sæpius numero indefinita: ovaria libera; ex apice excentrali, seu

(1) *Théorie élémentaire de la botanique*, p. 215.

ex interiore margine stylifera : stylus introrsum notatus sulco, cujus ad finem supernum apex illius tantisper in stigma obliquum incrassatur : ovulum unicum, appensum vel rarius adscendens. *Akenia* (*raro Drupellæ*) a calyce persistente stipata aut inclusa : semen appensum, rarius ascendens vel suberectum : embryo nudus (*epispermicus*) ; directione seminis (*homotropus*).

Diagnosis.

Calyx petaliferus. Ovaria libera inæquilatera, uni-ovulata. Akenia (raro drupæ) calyce stipata inclusave; aut illius fundo s. parieti, aut receptaculo prominenti affixa. Embryo epispermicus.

Nota. SANGUISORBÆIS, calyce 3-4 fido, defectu petalorum et stigmatis structura discrepantibus, valde affines.

Duplicem generum divisionem, schedas manuscriptas cl. RICHARD excutiens, comperii : utramque hic exponere non inutile duco.

I.	II.
§. I. Semine ascendente erectove.	§. I. Calyce nudo.
† Calyce nudo.	Rubus.
Comaropsis.	Rosa.
Dryas.	Dalibarda.
†† Calyce bracteolifero.	Comaropsis.
Geum.	Agrimonia.
Waldsteinia.	Dryas.
§. II. Semine appenso s. inverso.	§. II. Calyce bracteolifero.
† Calyce bracteolifero.	Geum.
Sibbaldia.	Waldsteinia.
Potentilla.	Amonia.
Fragaria.	Sibbaldia.
Amonia.	Potentilla.
†† Calyce nudo.	Fragaria.
Agrimonia.	
Dalibarda.	
Rosa.	
Rubus.	

Juxtà secundam divisionem, tanquam in usu expediliorem, nunc genera disponam.

Fragariacearum genera.

§. I. *Calyce nudo.*

1. Rubus. Calyx fundo planiusculus. Stamina numerosa. Pistilla in receptaculo manifeste protuberante capitata; stylo subterminali. Drupæ in receptaculo carnoso, insigniter carnosæ; nuce scabra, semine inverso.

2. Rosa. Cal. tubus urceolatus : faux materie staminifera coarctata. Stamina numerosa. Pistilla plurima, parieti illius tubi distincte affixa ; stylo terminali. Akenia tubo carnoso inclusa, nuculacea; semine appenso.

Nota. Styli interdum conglutinati, non vero coaliti.

3. Dalibarda. Calyx tubo brevi concavo. Stamina numerosa, decidua. Pistilla 5-10, fundo illius immediate affixa; stylo subterminali. Akenia calyce involucrata, pauca, sessilia, intus cartilaginea et subdrupacea ; semine appenso.

4. Comaropsis. Calyx bracteolis destitutus. Petala non unguiculata. Akenia basi non coarctata. Cætera *Waldsteiniæ.*

5. Agrimonia. Cal. tubus turbinatus, supra lappaceus ; fauce cum centrali foramine obturata. Stamina 14. Pistilla duo, stylo terminali. Akenia, tubo calycis indurato inclusa, membranacea; semine appenso. (*Setæ calycis veluti involucri loco.*)

6. Dryas. Calyx 8-9 partitus, tubo subconcavus. Petala 8-9. Stamina numerosa. Pistilla capitata ; stylo terminali. Akenia plumoso caudata ; semine ascendente.

§. II. *Calyce bracteolifero.*

7. Geum. Cal. tubo concavus. Stam. numerosa. Pistilla in receptaculo cylindraceo capitata ; stylo terminali, geniculatim arti-

culato, articulo superiore dissimili. Akenia capitata, caudata; semine ascendente.

8. Waldsteinia. Cal. tubus turbinatus, annulo crenulato sub staminibus coronatus. Stamina numerosa. Pistilla 2-4; fundo calycis, mediantibus totidem stipitulis infra connatis affixa; stylo terminali. Akenia (sæpe unicum) globosa, ad apicem nudum subumbilicata, ad basin solido-coarctata, uniformiter subcarnoso-coriacea; semine erecto.

9. Amonia. (*Agrimonoïdes*, Tournef. Instit. t. 155.)

Involucrum singulorum florum calyciforme, multifidum. Calyx, tubus oblongus; fauce cum centrali stylorum exitu obturata. Stam. 5. Pistill. 2; stylo terminali. Akenium solito unicum, tubo calycis globoso inclusum, tenui-membranaceum; semine appenso.

Nota. Interdum sextum superadditur stamen, alio geminatim approximatum.

10. Sibbaldia. Petala minuta. Stamina 5. Cætera *Potentillæ*.

11. Potentilla. Cal. tubus concavus. Stamina plurima. Pistilla numero indefinito in receptaculo prominente capitata; stylo manifeste laterali. Akenia in receptaculo exsucco exsucca, subreniformia, intus indurata; semine appenso.

12. Fragaria. Akenia subdrupacea, ad superficiem receptaculi tenero-carnosi sparsa. Reliqua præcedentis.

Antequam vero generaliores hasce observationes mittam et Monographiam ipsam aggrediar, illis absolvendis necessum duxi, rationes exponere quæ movere me valuerint, ut sub genere mihi pertractando perplures species complecterer, quas alii auctores, vestigia Linnæi prementes, ut totidem genera distincta conservarunt; *Comarum* nimirum, *Tormentilla*, et *Fragaria sterilis*. L.

In omnibus ordinibus ubi natura familiam plantarum constituisse videtur (*genus summum* secundum Rayi sententiam), distinctio generum semper plus minusve est difficilis. Effatum hoc imprimis de

nonnullis generibus Rosacearum valet ; quæ, valde arbitrario constituta, veluti traditione tantummodo sunt conservata.

Potentillæ genus præprimis, familiæ typus, Botanicos quam maxime cruciavit.

Tournefort (1) scientiæ patres secutus *Potentillæ Fragariæque* genera, secundum foliolorum numerum duntaxat communi petiolo insertorum distinxit ; separata *Tormentilla*, propter petalorum numerum sæpe quaternarium.

Hanc ob causam, *Fragariæ* genus Tournefortii (præter veras Fragarias) omnes Potentillæ species foliis trifoliatis, tunc temporis cognitas, apte complectitur; et speciebus foliis pinnatifidis, quæ audiunt *Pentaphylloides* apud ipsum, *Comarum* adjunxit. Hallerus (2), Linnæi coævus, Crantzium et Boehmerum sequens, sub *Fragariæ* nomine, et *Potentillas*, *Tormentillas*, *Comarum* et *Sibbaldiam* Linn. in unum coegit genus. Characteres generis illius essentiales examinare libeat, et explorare quatenus Halleri assertiones verum redolent.

Ex characteribus genericis, quibus *Comarum*, *Potentillam* necnon *Fragariam* Linnæus ipse distinxit, perclarum fit tria hæcce genera nonnisi consistentia plus minusve carnosa receptaculi differre; ut *Tormentillam* taceam, genus, ipso Linnæo teste (3), solo partium numero quaternario a Potentillis discrepans.

Si plures Potentillæ species inter se compares, quæ receptaculo aut spongioso aut piloso gaudent, e. gr. P. fruticosam, rupestrem, supinam, caulescentem, aliasque, maxima apparebit affinitas *Comari* Linn. cum Potentillis, quibus ab antiquis necnon recentioribus quibusdam Botanicis fuit adnumeratum.

Linnæus in horto Cliffortiano et Spec. plant. primus *Quinquefolium palustre rubrum* fratrum Bauhinorum, generico *Comari*

(1) Inst. Rei herb. p. 295.

(2) Hist. Stirp. helv.

(3) Gen. plant. ed. sext. p. 256.

nomine insignivit; « malum nomen, quasi *fragum* Græcis designaret aliam rem quam *fragum* Latinis » (1).

Postea ab omnibus fere auctoribus, imprimis Floristis, qui potius alieni laboris quam ipsius naturæ scrutatores citatis generibus adhæserunt, *Comari* genus Linn. perperam ut proprium fuit salutatum.

Hallerus, in immortali opere nimis modeste inscripto (2), de affinitate *Comari* persuasus, monuit illud a Pentaphylloide non esse separandum.

Sub Potentilla palustri de *Comaro* verba fecit Scopolius (3).

Ab ill. Lamarck (4) *Comari* genus ad *Argentinam* nomine A. rubræ relatum fuit.

b. Villars (5) meminit *Comarum* esse *Potentillam* inter et *Fragariam* intermedium.

Quoad receptaculi substantiam magna est denique affinitas Comari cum Fragaria sterili Linn. adeo ut Roth. (6) utramque uno Comari nomine conjunxerit.

Quod si receptaculum spongiosum tanquam solam genericam differentiam Comari consideres, necessarium omnino fiet plures Potentillæ species Comari generi tribuere: namque, uti jam supra monui, receptaculum quarumdam specierum est conoideum, pilosum interdum et subcarnosum; e. gr. P. rupestris, cui satis elevatum et spongiosum, adeo ut antiquiores Botanici speciem hanc *Quinquefolium fragiferum* dixerint. Comarum denique Potentillis affine comprobatur P. fruticosa; huic nempe Comari ad instar foliola calycina petalis intus concolora, scilicet lutea, bracteolæque lineares calyci alternantes.

---

(1) Crantz. fascic. p. 73.
(2) Hist. stirp. helvet. inchoat. n.° 1128.
(3) Flora Carniol. ed. 2. p. 617.
(4) Flor. franç. ed. 1.ma III. p. 120.
(5) Flor. Delph. III p. 579.
(6) Flor. Germ. I. p. 224. II. 577.

His præmonitis ultimam addam observationem.

Nulla hucusque nota fuerat Potentillæ species, petalis atrorubentibus vestita ; luteus albusque petalorum colores, generi quasi proprii, quam maxime conjunctioni supradicti obstare videntur.

Sed in Andium tractu P. *Comaroides* ab illustriss. peregrinatoribus de Humboldt et Bonpland detecta, omnibus notis *Comaro* adeo similis partibusque conveniens, ut rationem ambo genera denuo conjungendi subministraret.

Pauca de *Tormentilla* admonebo. Linnæus ipse (1) hocce genus ut saltem factitium proposuit, eumque non errare censet, qui cum Potentilla conjungeret. Numerus quaternarius partium, quemadmodum variabilis, minoris momenti videtur ut rite distinguatur genus. Floribus pentapetalis haud raro obviam tradiderunt Mappus (2), b. Hermann (3) b. Villars (4) Smith aliique.

Montanis in pascuis Vogesorum, necnon in campis sabulosis ad Hagenoam et mihi frequentius floribus pentapetalis occurrit.

Rarius per Ingriam tetrapetalam quam pentapetalam meminit Kraschenninikow (5).

Fragariæ genus a Linnæo receptaculo magno, pulposo, colorato et deciduo distinguitur ; nihilominus speciem baccis exsuccis gaudentem huic retulit.

Factitium nimis, quam quod non rejiciatur, genus *Fraga* nuper a cl. Lapeyrouse (6) propositum : character seminum aut lævium, aut rugulosorum minoris est momenti, quin differentia generica ex illo possit constitui ; etenim hoc statuto principio, tot facienda essent

---

(1) Gener. plant. ed. 6. p. 256.
(2) Hist. plant. Alsat. p. 307.
(3) Flor. Alsat. mnspt.
(4) Flor. Delphin. III. p. 576.
(5) Flor. Ingriæ p. 82.
(6) Flor. Pyren. p. 287.

genera quot tuberculorum species in capsulis Ranunculorum conspiceres.

Maximam denique cum Potentillis præ se fert affinitatem *Fragaria indica* Andrews (1) cui petala flava, folia trifoliata, habitusque P. reptanti adeo similis, ut, præterviso illius receptaculo magno pulposo rubroque, putares congenerem (2).

Cæterum in hac Fragariæ specie, quam florentem coram habeo, folia floralia extra calycis multoties minoris incisuras posita, et involucrum pentaphyllum patens manifeste constituentia, denominationem *Bracteolarum* in affinibus a me statutam evidenter demonstrant; quia illa folia floralia cæterorum foliorum indolem omnino æmulantur.

---

(1) Bot. Repository, t. 479.

(2) Hanc plantam in horto Dni. *Noisette*, hortulani parisini erga Botanicos officiosissimi, exoticis rarissimisque plantis ditissimo, vivam vidi.

II.

MONOGRAPHIA.

POTENTILLA.

Potentilla. Tormentilla. Comarum Fragariæ species. *Linn. Gen. ed. Schreb.* 1. *p.* 342. *n.°* 865. 866. 869. *Adanson. Fam.* 2. *p.* 292. *Juss. Gen. p.* 338. Pentaphylloides. Quinquefolium. Tormentilla. Fragariæ species. *Tournef. Inst. p.* 296.

Nota. Jam supra tradita diagnosi generis a fructificatione; ad characterem vegetationis transeo.

CHARACTER NATURALIS VEGETATIONIS.

Radix, perennis, rarius biennis aut annua. *Caulis* herbaceus, raro suffruticosus directione varia. *Folia* alterna, imparipinnata, pinnatifida, digitata vel trifoliata; margine varie diviso rarius integro; petiolo stipulifero. *Stipulæ* ex imi petioli marginibus prodeuntes, integræ, vel divisæ; amplexicaules. *Pubes* simplex, rarius stellulata. *Inflorescentia*, pedunculi solitarii, axillares, terminales; uniflori aut multiflori; floribus plerumque in corymbum dispositis.

Etymologia. Linnæus (1) hocce genus voce *Potentilla* salutavit, a *potentia virium* quarum species nonnullæ sunt præditæ.

(1) Phil. bot. ed. Willd. p. 166.

CONSPECTUS SPECIERUM.

† *Foliis pinnatis.*

1. *P. fruticosa.* Foliis pinnatis calycibusque villosis ; foliolis lineari-oblongis integris : bracteis linearibus inferne angustatis, caule fruticoso.

2. *P. Salesovii.* Foliis pinnatis subtus albo-tomentosis, foliolis serratis, caule fruticoso.

3. *P. davurica.* Foliis pinnatis, calycibusque glabris, foliolis oblongis, bracteis ovalibus, caule fruticoso. (*Tab. I bis.*)

4. *P. pimpinelloides.* Foliis pinnatis, foliolis subrotundis dentatis æqualibus, stipulis inciso-dentatis, caule erecto. (*Tab. II, fig.* 1.)

5. *P. cicutariæfolia.* Foliis pinnatis ; foliolis cuneiformibus profunde dentatis, summis confluentibus : stipulis indivisis, caule erecto. (*Tab. II, fig.* 2.)

6. *P. bifurca.* Foliis pinnatis, subæqualibus ; foliolis ovali-oblongis integris, bifurcis, extimis confluentibus, caule procumbente.

7. *P. multifida.* Foliis bipinnatifidis, supra glabriusculis, subtus incanis ; segmentis distantibus, caule decumbente.

8. *P. verticillaris.* Foliis pinnatis, subtus incanis ; foliolis angusto-linearibus, margine revolutis geminatis, terminali trifido ; caule decumbente.

9. *P. candicans.* Foliis sericeo-tomentosis candicantibus interrupte pinnatis ; foliolis profunde pinnatifidis, laciniis angusto linearibus ; caule paucifloro. (*Tab. III, fig.* 2.)

10. *P. sericea.* Foliis bipinnatis utrinque tomentosis : segmentis parallelis approximatis, caulibus decumbentibus.

11. *P. Anserina.* Foliis interrupte pinnatis sericeis; foliolis argute serratis, caule reptante, pedunculis axillaribus unifloris.

12. *P. agrimonioides.* Foliis pinnatis; foliolis ovato-oblongis obtusis profunde dentatis pubescentibus, inferioribus remotioribus diminutis; caule ascendente.

13. *P. pensylvanica.* Foliis pinnatis mollissime tomentosis; foliolis oblongis incisis, panicula stricta multiflora; caule erecto.

14. *P. hispida.* Foliis pinnatis, viscido-pubentibus; foliolis lanceolatis inciso-serratis; stipulis acuminatis; petalis obcordatis calyce majoribus.

15. *P. Comarum.* Foliis pinnatis; foliolis lanceolatis superne serratis: calyce colorato, petalis minutis; caule repente.

16. *P. geoides.* Foliis pinnatis; foliolis subrotundis sublobatis crenatis hirsutis, extimis majoribus: caulibus erectiusculis; calycibus obtusis, corollam subæquantibus.

17. *P. fragarioides.* Foliis radicalibus pinnatis, caulinis trifoliatis; foliolis ovalibus serratis, extimis majoribus, flagellis reptantibus.

18. *P. supina.* Foliis pinnatis; foliolis oblongis profunde dentatis: caule humifuso dichotomo; pedunculis axillaribus solitariis.

19. *P. Dombeyi.* Foliis radicalibus caulinisque inferioribus quinato-pinnatis, superioribus trifoliatis; foliolis ovali-cuneiformibus superne dentatis; caule decumbente. (*Tab. V, fig.* 2.)

20. *P. ruthenica.* Foliis radicalibus quinato-pinnatis, caulinis trifoliatis; foliolis ovalibus inciso-dentatis; petalis calyce brevioribus; caule erecto diffuso.

21. *P. rupestris.* Foliis radicalibus pinnatis; foliolis subrotundo-ovalibus dentatis; caulinis trifoliatis; caule virgato dichotomo.

†† *Foliis digitatis.*

A. *Receptaculo glabro.*

22. *P. simplex.* Foliis quinatis ; foliolis oblongo-ovalibus , pedunculis lateralibus solitariis elongatis , unifloris ; caule erecto hirsuto simplici. (*Tab. IX , fig.* 2.)

23. *P. astracanica.* Foliis radicalibus quinatis; foliolis oblongis dentatis; caulinis edentulis tripartitis , summis indivisis; stipulis maximis ; caule erecto dichotomo pilosissimo.

24. *P. divaricata.* Foliis septenatis quinatisve; foliolis oblongis basi longe angustatis profunde serratis glabriusculis , stipulis inciso-dentatis; corymbo laxo divaricato, petalis calycis longitudine emarginatis ; caule erecto.

25. *P. recta.* Foliis septenatis quinatisque ; foliolis oblongis sæpiusque stipulis inciso-dentatis ; petalis pallidis obcordatis calyce majoribus ; caule erecto. (*Tab. VI.*)

26. *P. obscura.* Foliis septenatis quinatisque ; foliolis ovali-oblongis sæpiusque stipulis inciso-dentatis ; petalis aureis obcordatis longitudine calycis ; caule erecto obscure purpureo.

27. *P. pedata.* Foliis pedatis ; foliolis lanceolatis serratis ; stipulis indivisis ; petalis obcordatis calycem superantibus ; caule erecto. (*Tab. VII.*)

28. *P. laciniosa.* Foliis septenatis quinatisque ; foliolis oblongis laciniato-pinnatifidis ; stipulis incisis , caule erecto rubente hirto.

29. *P. hirta.* Foliis septenatis quinatisque; foliolis cuneiformibus superne incisis ; caule erecto , paucifloro , prolixe piloso.

30. *P. geranioides.* Foliis quinatis , prolixe pilosis ; foliolis subpalmato pinnatifidis , laciniis linearibus ; caule decumbente. (*Tab. V, fig.* 1.)

31. *P. canescens.* Foliis quinatis ; foliolis subcuneato-oblongis profunde inciso-dentatis, subtus villoso-lanuginosis canescentibus, ad oras pilosis ; panicula multiflora, caule erecto.

32. *P. argentea.* Foliis quinatis ; foliolis cuneiformibus superne incisis, margine revolutis, subtus candido-tomentosis ; caule decumbente.

33. *P. stipularis.* Foliis radicalibus novenis septenatisve ; caulinis in stipula magna sessilibus, omnium foliolis lineari-oblongis subintegris.

34. *P. intermedia.* Foliis radicalibus septenatis longissime petiolatis, caulinis quinatis ; foliolis ovali-oblongis cuneatis profunde serratis ; stipulis indivisis, caule dichotomo decumbente. (*Tab. VIII.*)

35. *P. incisa.* Foliis radicalibus quinatis, longe petiolatis ; foliolis oblongo-cuneatis ad apicem inciso-plurifidis ; petalis calycem superantibus, caule subdichotomo decumbente (*Tab. IV, fig.* 1.)

36. *P. verna.* Foliis radicalibus septenis quinatisve ; foliolis obovalibus utrinque virentibus subtus pilosis : petalis obcordatis calyce longioribus, caule debili procumbente.

37. *P. cinerea.* Foliis quinatis ; foliolis obovalibus obtuse dentatis subtomentosis, pube simplici stellataque cinerascentibus ; petalis calyce majoribus, caule procumbente.

38. *P. opaca.* Foliis radicalibus septenatis quinatisve ; foliolis ovali-cuneiformibus dentatis pilosis, petalis obcordatis calyce vix longioribus, caule filiformi decumbente.

39. *P. heterophylla.* Foliis radicalibus septenatis hispidis, partim subsessilibus, partim petiolatis caules superantibus ; petalis integris calycem æquantibus.

40. *P. ranunculoides.* Foliis radicalibus septenatis quinatisve ; foliolis obovalibus obtuse dentatis ; caule erecto brevi, paucifloro. (*Tab. III, fig.* 1.)

41. *P. patula.* Foliis radicalibus novenis septenisque cuneiformibus ad apicem inciso-dentatis, supra nudis, subtus pilosis; petalis subretusis calycis laciniis æqualibus; bracteolis linearibus, caulibus subdeclinatis appresso-pilosis.

42. *P. aurea.* Foliis radicalibus quinatis, caulinis trifoliatis; foliolis cuneiformibus margine sericeo-pilosis, ad apicem dentatis: petalis obcordatis calyce majoribus; caule decumbente.

43. *P. canadensis.* Foliis radicalibus quinatis, caulinis trifoliatis; foliolis obovali-cuneiformibus ad apicem serratis, subtus sericeis; caule filiformi adscendente. (*Tab. X, fig.* 1.)

†† *Foliis digitatis.*

B. *Receptaculo villoso.*

44. *P. alba.* Foliis radicalibus quinatis, caulinis trifoliatis; foliolis ovali oblongis ad apicem conniventi-serratis, supra glabris, subtus sericeo-canis; caule filiformi decumbente, foliis breviore.

45. *P. caulescens.* Foliis radicalibus quinatis, caulinis trifoliatis; foliolis ovali-cuneiformibus ad apicem conniventi-serratis; petalis obovatis calycis longitudine, caule filiformi decumbente multifloro, foliis longiore.

46. *P. clusiana.* Foliis radicalibus quinatis, caulinis trifoliatis; foliolis ovali-cuneiformibus ad apicem conniventi-serratis; petalis subrotundis calyce longioribus, caule filiformi decumbente paucifloro, foliis longiore.

47. *P. lupinoides.* Foliis septenatis quinatisve; foliolis subrotundo-obovalibus ad apicem conniventi-serratis, utrinque sericeo villosis; petalis obcordatis calyce brevioribus, caule erecto villoso.

48. *P. Valderia.* Foliis septenatis quinatisve; foliolis obovalibus

serratis, utrinque sericeo-tomentosis; petalis ovalibus rotundatis calyce brevioribus, caule erecto tomentoso.

49. *P. alchemilloides.* Foliis septenatis quinatisve; foliolis ovali-oblongis ad apicem tri-multidenticulatis, subtus sericeo argenteis; bracteolis lineari-subulatis longitudine calycis : caule suberecto.

50. *P. comaroides.* Foliis radicalibus quinatis, caulinis trifoliatis; foliolis obovalibus ad apicem quinque-dentatis, subtus sericeo-canis : bracteolis ovali-lanceolatis calyce brevioribus; caule gracili adscendente. (*Tab. IV, fig.* 3.)

51. *P. nitida.* Foliis quinatis trifoliatisque; foliolis ovali-cuneiformibus utrinque sericeo-villosis, ad apicem conniventi-tridentatis; petalis rotundatis calyce longioribus, caule unifloro.

52. *P. sarmentosa.* Foliis quinatis; foliolis obovatis grosse serratis, stipulis incisis bifidis, pedunculis unifloris axillaribus, caule procumbente sarmentoso.

53. *P. reptans.* Foliis quinatis; foliolis obovali-cuneiformibus serratis, stipulis indivisis, pedunculis axillaribus unifloris folio longioribus; caule sarmentoso.

††† *Foliis trifoliatis.*

54. *P. nemoralis.* Foliis trifoliatis, caulinis petiolatis; foliolis cuneato obovalibus inciso-dentatis, pedicellis solitariis elongatis, floribus tetrapetalis : caule filiformi procumbente.

55. *P. Tormentilla.* Foliis trifoliatis, caulinis sessilibus; foliolis sublanceolato-ovalibus inciso-dentatis, pedicellis solitariis dichotomalibus lateralibusque, floribus tetrapetalis : caule suberecto dichotomo.

56. *P. tridentata.* Foliis trifoliatis; foliolis oblongo cuneiformibus ad apicem subtridentatis, supra glabris; panicula laxiuscula, petalis ovalibus calyce majoribus; caule adscendente.

57. *P. norvegica.* Foliis trifoliatis petiolatis ; foliolis ovali-lanceolatis acute serratis ; petalis calyce minoribus , caule erecto , simplici hirsuto.

58. *P. hirsuta.* Foliis trifoliatis petiolatis ; foliolis subrotundis inæqualiter inciso-dentatis , laciniatisve , laciniis obtusis ; petalis calyce minoribus ; caule erecto , simplici , hirsuto. (*Tab. IX , fig.* 1.)

59. *P. grandiflora.* Foliis trifoliatis ; foliolis subrotundo-ovalibus inciso-dentatis ; petalis obcordatis calyce duplo longioribus , caule adscendente paucifloro.

60. *P. frigida.* Foliis trifoliatis ; foliolis ovali cuneiformibus , serratis , undique hirsutis : petalis calycem vix æquantibus , caule decumbente. (*Tab. X , fig.* 3.)

61. *P. Brauniana.* Foliis trifoliatis ; foliolis subrotundis cuneiformibus serratis , supra glabris , subtus ad orasque pilosis ; petalis calycem superantibus , caule humifuso. (*Tab. X , fig.* 4.)

62. *P. subacaulis.* Foliis trifoliatis ; foliolis obovali-cuneiformibus crenatis , pube stellulata utrinque dense tomentosis ; petalis obcordatis calycem superantibus , caule decumbente paucifloro.

63. *P. Bocconi.* Foliis trifoliatis ; foliolis ellipticis integerrimis , ad apicem conniventi-tridentatis , utrinque sericeo-canis ; caule adscendente paucifloro. (*Tab. X , fig.* 2.)

64. *P. nivea.* Foliis trifoliatis ; foliolis obovali-cuneiformibus inciso-dentatis , supra pilosis , subtus niveo-tomentosis ; caule adscendente paucifloro.

65. *P. betonicæfolia.* Foliis trifoliatis ; foliolis ellipticis crenatis supra glabris , subtus niveo-tomentosis ; caule filiformi adscendente paucifloro.

66. *P. speciosa.* Foliis trifoliatis ; foliolis ellipticis ad apicem serratis supra pubentibus , subtus niveo-tomentosis ; caule adscendente corymboso , basi fruticoso. (*Tab. XI.*)

67. *P. Vaillantii.* Foliis trifoliatis ; foliolis ovali-oblongis ad apicem conniventi-serratis, supra pilosis, subtus sericeo-canis ; petalis obcordatis calyce duplo majoribus ; caule sarmentoso.

68. *P. Fragaria.* Foliis trifoliatis ; foliolis obovalibus retusis, inciso-serratis, undique sericeis ; petalis obcordatis calycem æquantibus ; caule filiformi decumbente.

HISTORIA SPECIALIS.

† *Foliis pinnatis.*

1. P. Fruticosa. *L.* — P. Foliis pinnatis calycibusque villosis ; foliolis lineari-oblongis integris : bracteis linearibus inferne angustatis, caule fruticoso.

P. foliis pinnatis, caule fruticoso. *Linn. Sp. pl. ed.* 1ª. 1. *p.* 495. *ed.* 2ª. 1. *p.* 709. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1094. (Excluso synonymo primo Amm. ruth 88. ad P. davuricam referendo.)

Pentaphylloides rectum fruticosum eboracense. *Moris. Hist.* 2. *p.* 193. *S.* 2. *t.* 93. *f.* 5.

Pentaphylloides fruticosum. *Rai. Hist. pl.* 1. *p.* 616.

P. fruticosa. *Mich. Bor. Am.* 1. *p.* 304. *De Cand. Fl. Fr.* 3. *p.* 455. *Lapeyr. Pyr. p.* 287. *Smith. Brit.* 2. *p.* 547.

Icon. *Engl. Bot. t.* 88.

β. Pentaphylloides fruticosa humilior lanuginosa et incana. *Amm. ruth.* 89. *t.* 18. *f.* 1.

Habit. in Eboraco Angliæ, Oelandia australi, Sibiria, Canada, inque Pyrenæis. ♄. (v. v.)

Specimina a b. Michaux ad lacus *des Cygnes* et *Mistassin* Canadæ lecta, ab europæis non recedunt. Varietas β, cujus specimen a *Patrin* in Sibiriæ alpibus altaïcis lectum, in herbario cl. de Jussieu vidi, nonnisi foliis minoribus, magisque villosis, a P. fruticosa differt.

Obs. P. fruticosa Loureir. Cochin. (1) diversa videtur, præsertim floribus in spicam paucifloram dispositis.

2. P. SALESOVII. *W.* — P. foliis pinnatis subtus albo-tomentosis, foliolis serratis, caule fruticoso. *Willd. Enum.* 1. p. 552.

Potentilla Salesovii *Stephan. in litt.*

Hab. in Sibiria. ♄.

Obs. Anne satis a Pot. fruticosa distincta ?

Ex collatis speciminibus P. fruticosæ in valle *Eynes* Pyrenæorum lectis, illisque P. Salesovii ex Germania missis, cl. De Candolle dubius hæret an revera distinguendæ sint species; ut ipse in litter. (jul. 1813) me monuit.

3. P. DAVURICA. — P. foliis pinnatis, calycibusque glabris, foliolis oblongis, bracteis ovalibus, caule fruticoso.

Pentaphylloides fruticosa, elatior, minus hirsuta. *Amm. ruth.* 88. *t.* 17. (Icone mediocri).

Icon. tab. 1. bis.

Hab. in Davuria. ♄. (v. s. *Herb. Mus. Paris*).

Caulis fruticosus, cortice fusco frustatim solubili. Folia bijuga cum impari, utrinque glabra; foliolis oblongis abrupte apiculatis. Pedunculi filiformes, elongati, uniflori, ad medium foliolo simplici plerumque instructi, patenti-pilosi, ramulos singulos terminantes. Petala lutea, rotundata, calyce majora.

Obs. Species quam maxime affinis Pot. *fruticosæ*, sed glabritie foliolorum necnon calycis et bracteolarum forma omnino diversa.

Tab. 1. (bis). Fig. A. et B. exhibet ambarum specierum singulos flores, lente auctos.

A. Flos P. *fruticosæ.*

1. Foliola calycina, semi-lanceolata.
2. Bracteæ, lineares, inferne angustatæ.

---

(1) *Loureiro* Flor. Cochinch. ed. Willd. I. p. 399.

B. Flos P. *davuricæ.*

1. Foliola calycina ovalia, acuminata.

2. Bracteæ ovales, apiculatæ.

4. P. PIMPINELLOIDES. *L.* — P. foliis pinnatis, foliolis subrotundis dentatis æqualibus, stipulis inciso-dentatis, caule erecto.

P. pimpinelloides. *L. Sp. pl. ed.* 1ª. 1. *p.* 497. *ed.* 2ª. 1. *p.* 711. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1098.

Pentaphylloides orientale, erectum, pimpinellæ folio et facie. *Tournef. Cor.* 21. *et Herbar. Buxb. cent.* 1. *p.* 30. *t.* 48. *mala.*

Icon. *Tab.* 2.

Habit. in Armeniæ saxosis. ♃. (v. s. *Herb. Mus. Par.*)

Caulis pedalis erectus; ramuli, petioli, et pedunculi patenti-pilosi. Folia pinnata, foliolis alternis, petiolatis, ovalibus, profunde serratis, undique pilosis, summis confluentibus. Stipulæ profunde 3—4 partitæ; inflorescentia paniculata, floribus singulis dichotomalibus; pedunculi filiformes graciles : corolla flava (P. *reptantis*), petalis obcordatis calycem paulo superantibus; bracteæ lanceolatæ longitudine calycis.

5. P. CICUTARIÆFOLIA. *W.* — P. foliis pinnatis; foliolis cuneiformibus, profunde dentatis, summis confluentibus : stipulis indivisis; caule erecto.

P. cicutariæ folia. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1098.

Pentaphylloides orientale erectum, foliis alatis Geranii cicutæ folio facie. *Tournef. cor.* 21. *et Herbar.*

Icon. *Tab.* 2.

Habit. in Galatia. ♃. (v. s. *Herb. Tournef.*).

Caulis erectus gracilis, 4—6 uncialis, appresso-pilosus. Folia pinnata, foliolis cuneiformibus ad apicem profunde incisis, undique pilis raris tectis, summis confluentibus. Stipulæ indivisæ, vel rarius dente uno alterove, ovali-lanceolatæ. Panicula pauciflora. Corolla flava, (*Pot. supinæ*), petalis calycem æquantibus; bracteæ lineari-lanceolatæ, calycis longitudine.

6. P. BIFURCA. *L.* — P. foliis pinnatis, subæqualibus ; foliolis ovali-oblongis integris, bifurcis, extimis confluentibus, caule procumbente.

P. bifurca. *Linn. Sp. p. ed.* 1ª. 1. *p.* 497. *ed.* 2ª. 1. *pl.* 711. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1098.

Pentaphylloides armenium, supinum, foliis alatis bifidis vel trifidis. *Tourn. Cor.* 21. *et Herbar.*

Pentaphylloides repens foliis pinnatis. *Buxb. Cent.* 1. *p.* 30. *t.* 49. *f.* 1.

P. bifurca. *Marsch. a Biberst. Fl. Taur. Caucas.* 1. *p.* 404.

Icon. *Buxb. l. c. Gmel. it. t.* 27. *f.* 1.

Hab. in Sibiria, Armenia, Caucaso. ♃. (v. v. h. A.)

7. P. MULTIFIDA. *L.* — P. foliis bipinnatifidis, supra glabriusculis, subtus incanis ; segmentis distantibus, caule decumbente.

P. multifida. *L. Sp. pl. ed.* 1ª. 1. *p.* 496. *ed.* 2ª. 1. *p.* 710. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1096. *De Cand. Fl. Franc.* 4. *p.* 456. *Poiret Encycl.* 5. *p.* 585. *Suter. Helv.* 1. *p.* 305.

Quinquefolio similis enneaphyllos hirsuta. *C. B. prodr.* 139. *Pin.* 325. (certo).

Habit. in Sibiria, Tartaria, Cappadocia, Helvetia, Pedemontio. ♃. (v. v.)

Species quoad locum natalem et culturam quam maxime varians occurrit : foliolis angustioribus et latioribus ; caule in planta spontanea, spithamæo, decumbente ; in speciminibus cultis, adscendente et pedali : denique et foliis variegatis ludit.

8. P. VERTICILLARIS. *W.* — P. foliis pinnatis, subtus incanis ; foliolis angusto-linearibus, margine revolutis geminatis, terminali trifido, caule decumbente.

P. verticillata *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1096. Pentaphylloides humile, foliis angustissimis. *Amm. Ruth. p.* 86. *t.* 16.

Icon. *Amm. l. c. bona.*

Hab. in Sibiria. ♃. (v. s. h. Juss.)

9. P. CANDICANS. *H. et B.*—P. foliis sericeo-tomentosis candicantibus interrupte pinnatis ; foliolis profunde pinnatifidis, laciniis angusto linearibus ; caule paucifloro.

P. candicans. *Humboldt et Bonpland. inedit.*

Icon. *Tab.* 3. *f.* 2.

β. P. nana. *Humboldt et Bonpland. inedit.*

Icon. *tab.* 4. *f.* 2.

Habit. *α* in excelsis umbrosis prope vicum mexicanum Tianguillo, regione frigida inter Mexico et Toluca, altitud. 1505 hexapod. *Flor. Sept.*

β. in regno mexicano juxta vicum S. Augustin de las Cuevas, et in devexis montis El Guarda, in via ad portum Acapulco ; altitud. 1200—1400 hexapod. regione subfrigida. *Flor. April.* 4. (*α* et *β.* v. s. h. H. et B.)

Radix crassa nigricans, superne veluti squamosa. Caules plures ex una radice, vix pedales, decumbentes ? lanugine molli adpressa induti. Folia radicalia petiolata, foliolis passim quasi geminatis, altero minore, pectinatim pinnatifidis : caulina parvula. Stipulæ lanceolatæ acutæ, caulinæ latiores 2—3 fidæ. Flores in singulis caulibus paucissimi, longissime pedicellati. Calycis laciniæ ovales acuminatæ : bracteolæ ratione calycis minimæ brevissimæque ovales. Petala lutea, rotundato-spathulata, subretusa, calycem paulum superantia. Receptaculum convexum dense villosum.

OBS. *Potentilla nana* nonnisi proportione minore partium a *candicante* differt : sed velut specie distinctam in herbario cl. peregrinatorum a Humboldt et Bonpland visa, iconem inde delineandam curavi, ut de differentia doctiores dijudicent.

10. P. SERICEA. *L.* — P. foliis bipinnatis utrinque tomentosis : segmentis parallelis approximatis, caulibus decumbentibus. *Linn. Sp. pl. ed.* 1*a*. 1. *p.* 495. *ed.* 2*a*. 1. *p.* 710.

P. foliis bipinnatifidis multijugis utrinque tomentosis, segmentis

parallelis, approximatis, caule decumbente. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1095.

Hab. in Sibiria. 24.

OBS. Hujus speciei ubique in herbariis parisinis deficientis descriptionem vide apud. *Willd. l. c.*

Folia subtus tantum tomentosa, supraque pilosa. *Ehrh. beitr.* 7. *p.* 120.

11. P. ANSERINA. *L.* — P. foliis interrupte pinnatis sericeis; foliolis argute serratis, caule reptante, pedunculis axillaribus unifloris.

P. Anserina. *L. Sp. pl. ed.* 1*a*. 1. *p.* 495. *ed.* 2*a*. 1. *p* 710. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1095.

Anserina. *Lobel Hist. p.* 39. *Icon.*

Potentilla s. Argentina. *J. B.* 2. 398.

Pentaphylloides argenteum, alatum, seu Potentilla. *J. R. H.* 298.

P. Anserina. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 455. *Mich. Bor Am.* 1. *p.* 304.

Icon. *Flor. Dan. t.* 544. *Bull. Herb. t.* 157. *Engl. Bot.* 861.

β. Pentaphylloides incanum tanaceti folio. *Moris. Hist.* 2. *s.* 2. *t.* 20. *f.* 4.

Habit. in pascuis glareosis humidisque Europæ et Americæ borealis. 24. (v. v.)

Planta ratione loci natalis varians foliis utrinque sericeis et denudatis.

Specimina canadensia a b. Michaux ad lacum Champlain lecta, Europæis multo sunt minora ac graciliora, sarmentis magis filiformibus; cæterum non discrepant.

12. P. AGRIMONIOIDES. *Mh.* — P. foliis pinnatis, foliolis ovato-oblongis, inferioribus remotioribus diminutis, caule adscendente.

P. agrimonioides *Marsch. a Biberst. Taur. Caucas.* 1. *p.* 403.

Icon. *Gmel. Sib.* 3. *t.* 38, *ex. Marsch.*

Hab. in Armeniæ Ibericæ montosis. 24.

Foliola novena, septena, sæpius quina, fere P. rectæ, breviora

et paulo profundius incisa : laciniis obtusis ; lateralia basi interiore angustiora, extima basi sub-connexa ; inferiora minora remota. Stipulæ magnitudine P. argenteæ. Planta dodrantalis villosa viridis, nec sericea, parum ramosa. Icon Gmelini citata nostram omnino refert, ad nullam vero ex enumeratis ab auctore speciebus allegatur ; quod editoris incuriæ tribuendum. Affinis P. pensylvanicæ : an satis distincta a P. cicutariæfolia ? *Marsch. l. c.*

13. P. PENSYLVANICA. *L.* — P. foliis pinnatis mollissime tomentosis ; foliolis oblongis incisis, panicula stricta multiflora, caule erecto.

P. pensylvanica *Linn. Mant.* 76. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1099. *Mich. Bor. Am.* 1. *p.* 304.

P. pubescens *Mönch. Meth. p.* 660.

Icon *Gmel. Sib.* 3. *t.* 34. *f.* 1. *mediocr. Jacq. Hort. t.* 189. *optima.*

Hab. in Canada, Sibiria ; nunc circa Parisios quasi spontanea. ♃. (v. v.)

Specimina sibirica mihi ab americanis non diversa videntur.

14. P. HISPIDA. *W.* — P. foliis pinnatis viscido-pubentibus ; foliolis lanceolatis inciso-serratis ; stipulis acuminatis ; petalis obcordatis calyce majoribus.

P. (*hispida.*) foliis interrupte pinnatis patenti-pilosis ; foliolis lanceolatis inciso-dentatis, summis basi decurrentibus, stipulis incisis, petalis obcordatis calyce majoribus. *Willd. Enum.* 1. p. 533.

P. viscosa *Donn. Catal.*

Hab. in Davuria. ♃. (v. s.)

Valde similis præcedenti, sed constanter diversa. *Willd. l. c.*

15. P. COMARUM. — P. foliis pinnatis ; foliolis lanceolatis superne serratis : calyce colorato, petalis minutis ; caule repente.

Comarum palustre. *Linn. Sp. pl. ed.* 1ª. 1. *p.* 502. *ed.* 2ª. 1. *p.* 718. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1119. *Smith. Brit.* 2. *p.* 557. *De Cand. Fl. Fr.* 3. *p.* 469. *Mich. Bor, Am.* 1. p. 302.

Quinquefolium palustre s. aquaticum. *Tabern. Ic.* 122.

Pentaphyllum s. potius heptaphyllum flore rubro. *J. B. Hist.* 2. 398.

Pentaphylloides palustre rubrum. *J, R. H. Mapp. Alsat. p.* 234.

Fragaria palustris. *Crantz. fasc. p.* 73.

Potentilla palustris. *Scopol. Carn. ed.* 2ª. *p.* 617. *Mönch. meth. p.* 660.

Icon. *Flor. Danica.* t. 636.

Engl. Bot. t. 172.

β. Pentaphyllum palustre rubrum, crassis et villosis foliis, succicum et hibernicum. *Plukn. Phyt. p.* 284. t. 212. *f.* 2.

Hab. in Europæ, Asiæ, et Americæ borealis paludibus spongiosis. 4 (v. v.)

Obs. Folia sæpius et digitata observantur.

16. P. geoides. *M.* — P. foliis pinnatis; foliolis subrotundis sublobatis crenatis hirsutis; extimis majoribus : caulibus erectiusculis; calycibus obtusis corollam subæquantibus.

P. geoides. *Marsch. a Biberst. Taur. cauc.* 1. *p.* 404.

P. fragarioides. *Habl. Taur. p.* 147, et Geum potentilloides. *Pall. Ind. Taur.* (*ex Marsch.*)

Hab. in Tauriæ rupestribus. 4.

Facies Gei, ob foliola præsertim tria extima magna rotundata. Stipulæ ovatæ dentatæ. Panicula subdichotoma. Flores vix magnitudine Gei urbani. Calycina segmenta ovato-oblonga obtusa : alterna quadruplo minora. Petala rotundata lutea. Hirsuties totius plantæ subrufa. *Marsch. l. c.*

17, P. fragarioides. *L.* — P. foliis radicalibus pinnatis, caulinis trifoliatis; foliolis ovalibus serratis, extimis majoribus, flagellis reptantibus.

P. fragarioides. *Linn. Sp. pl. ed.* 1ª. 1. *p.* 496. *ed.* 2ª. 1. *p.* 710. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1096.

Icon. *Gmel. Sib.* 3. *t.* 34. *f.* 2. *bona.*

Habit. in Sibiria. 24. (v. s. h. Juss.)

Similis Fragariæ sterili L. Caulis, petiolique patenti-pilosi. Flores solitarii, petalis luteis calycem æquantibus.

18. P. SUPINA. L. — P. foliis pinnatis; foliolis oblongis profunde dentatis : caule humifuso dichotomo; pedunculis axillaribus solitariis.

P. supina. *Linn. Sp. pl. ed.* 1ª. 1. *p.* 497. *ed.* 2ª. 1. *p.* 711. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1099. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 456. *Mich. Bor. Am.* 1. *p.* 304. *Marsch. a Biberst. Taur. Cauc.* 1. *p.* 405.

Pentaphylloides supinum. *J. B, Hist.* 2. *p.* 398. *c. Icon.*

Icon. *Moris. Hist.* 2. *s.* 2. *t.* 20. *f.* 3. *Jacq. austr. t.* 406.

Hab. in Canadæ, Sibiriæ, Austriæ, Germaniæ, Galliæ ruderatis ⊙ (v. v.)

Collatis speciminibus americanis, sibiricis, nec non aliis in Ægypto (ubique ad fossas, recesso Nilo) repertis, patet ea ab europæis non differre.

19. P. DOMBEYI. — P. foliis radicalibus caulinisque inferioribus quinato-pinnatis, superioribus trifoliatis; foliolis ovali-cuneiformibus superne dentatis, caule decumbente.

Icon. *Tab.* 5. *f.* 2.

Hab. in Chili. 24. (v. s. herb. Mus. Paris. ex herb. *Dombey.*)

Caules ex radice spargit plures, graciles, dodrantales, patenti-pilosi, humifusi. *Folia* radicalia longe petiolata, ut et caulina inferiora quinato-pinnata; reliqua trifoliata, foliolis cuneato-obovalibus ad apicem profunde serratis, undique rariter pilosis. *Stipulæ* lanceolatæ, indivisæ, pilosæ. Caules pauciflori, corolla lutea (*Pot. supinæ*), petalis calycem paulo superantibus. *Folia* calycina ovalia, acuminata, bracteis lanceolatis acutis calycem æquantibus. *Akenia* lævia.

20. P. RUTHENICA. *W.* — P. foliis radicalibus quinato-pinnatis,

caulinis trifoliatis; foliolis ovalibus insiso dentatis; petalis calyce brevioribus, caule erecto diffuso.

P. ruthenica. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1097. (exclus. synon.)

β. P. (diffusa) foliis radicalibus subpinnatis, caulinis ternatis, foliolis lanceolatis inæqualiter grosse serratis, utrinque, cauleque patenti-pilosis, pedunculis alaribus solitariis. *Willd. enum.* 1 *p.* 555.

Hab. in Sibiria. ♃. (v. v. h. A.)

Caulis erectus pedalis vel ultra, dichotomo-ramosus, ut et reliquæ plantæ partes valde hirsutus. *Folia* radicalia, primo vere erumpentia quinato-pinnata; foliolis obovatis profunde dentatis, binis superioribus sessilibus basi decurrentibus, binis inferioribus imparique breviter petiolatis. *Folia* caulina trifoliata, longe petiolata, foliolis ovato-lanceolatis grosse serratis. *Stipulæ* ovali-lanceolatæ dentatæ. *Flores* in dichotomia caulis solitarii, primario centrali non ex dichotomia, sed supraxillari; bracteæ ovali-lanceolatæ, foliolis calycinis semi-lanceolatis, longiores. *Petala* flava subrotunda calyce dimidio breviora. *Receptaculum* pistillis tectum valde prominens, subconicum; fraga juvenilia æmulans. *Akenia* rugulosa.

Obs. I. Morisonii synonymon quod Willdenow ipse, Linnæum secutus, iterum apud P. *monspeliensem* L. citat, sine dubio huic speciei tribuendum.

P. *ruthenica* valde affinis P. *norvegicæ*; differt præprimis : radice perenni, et foliis radicalibus subpinnatis.

Obs. II. P. *diffusa* W. tanquam varietas cultura orta, considerandæ : nam limites nullas invenio, ut rite a *ruthenica* distinguam.

21. P. rupestris. *L.* — P. foliis radicalibus pinnatis; foliolis subrotundo-ovalibus dentatis; caulinis trifoliatis, caule virgato dichotomo.

P. rupestris. *L. Sp. pl. ed.* 1ª. *p.* 496. *ed.* 2ª. 1. *p.* 711. *Willd. sp.*

pl. 2. *p.* 1097. *Vill. Delph.* 3. *p.* 575. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 464. *Lapeyr. Pyren. p.* 287. *Smith. Brit.* 2. *p.* 548. *Suter Helv.* 1. *p.* 306.

Pentaphylloides erectum. *Bauh. Hist.* 2. *p.* 398. *ic. Mapp. Als. p.* 234.

Quinquefolium fragiferum. *Bauh. pin.* 326. *Clus. Hist.* 2. *p.* 107. *c. icon. bona.*

P. rubens. *Mônch. meth. p.* 660.

P. fragarioides *Poiret Encycl.* 5. *p.* 586. (ex autopsia herb. Lamarck.)

Icon. *Jacq. austr. t.* 114. *Engl. Bot.* 2058.

Hab. in rupibus Sueciæ, Sibiriæ, Helvetiæ, Germaniæ, Galliæ, inque Pyrenæis. ♃. (v. v.)

In hortis, herbariisque sæpius hanc speciem sub nomine P. fragarioidis L. vidi.

Specimina sibirica herb. Mus. parisin. nostratibus persimilia.

†† *Foliis digitatis.*

A. *Receptaculo glabro.*

22. P. SIMPLEX. *Mx.* — P. foliis quinatis; foliolis oblongo-ovalibus, pedunculis lateralibus solitariis elongatis, unifloris; caule erecto hirsuto simplici.

P. *simplex Mich. Bor. Am.* 1. *p.* 303. *Poiret Encycl.* 5. *p.* 596. *Pers. Syn.* 2. *p.* 55.

P. *caroliniana Poiret Encycl.* 5. *p.* 595. (ex autopsia herb. Lamarck.) *Pers. Syn.* 2. *p.* 55.

Icon. *t.* 9. f. 2.

Hab. in Canada, Pensylvania, Carolina. (v. s. h. R.)

Caulis dodrantalis, angulosus. *Foliola* dentata, nervis pilosis. Incrementum ramuli et folium unicum petiolatum ex axillis foliorum

subsessilium unifloris : *Stipulæ* ovali-lanceolatæ indivisæ. *Pedunculus* setaceus elongatus uniflorus. *Petala* lutea, rotundato obcordata, calyce longiora. *Bracteolæ* lanceolatæ, acuminatæ, calycis longitudine.

Species quoad habitum a congeneribus diversissima.

23. P. ASTRACANICA. *Jacq.* — P. foliis radicalibus quinatis; foliolis oblongis dentatis, caulinis edentulis tripartitis, summis indivisis, stipulis maximis, caule erecto dichotomo pilosissimo.

P. astracanica. *Jacq. Misc.* 2. *p.* 349. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1105. *Marsch. a Biberst. Taur. Cauc.* 1. *p.* 406.

P. alterniflora *Richard mnspt.*

Icon. *Jacq. rar. t.* 92. *mediocr.*

Hab. ad Astracan et in Caucaso. ♃. (v. s. herb. Rd.)

Accedit ad binas sequentes *habitu* et *statura*, sed stipularum forma ab affinibus præprimis differt.

24. P. DIVARICATA. De Cand. — P. foliis septenatis quinatisve; foliolis oblongis basi longe angustatis, profunde serratis glabriusculis; stipulis inciso-dentatis; corymbo laxo divaricato, petalis calycis longitudine emarginatis; caule erecto.

P. divaricata. *De Cand. Catalog. Hort. Monspel., p.* 135. *Fl. Fr.* 5. *p.* 541.

Habit. in Corsica. ♃. (v. s.)

Caulis erectus pedalis et ultra, pilis raris patentibus ut et reliquæ plantæ partes tectus. *Folia* radicalia, caulinaque inferiora septenata, cætera quinata, summa trifoliata; foliola oblonga, supra glabra, subtus ad nervos marginemque rariter pilosa : caulis superne dichotomo-corymbosus, ramis divaricatis. *Flores* dichotomales longiuscule pedicellati. *Bracteolæ* lineari-lanceolatæ, laciniis calycinis semi-lanceolatis dimidio longiores. *Petala* obcordata, flava, calycem æquantia.

OBS. Omnino media videtur inter P. *intermediam* a qua differt stipulis pinnatifidis nec integris, et caule erecto; et P. *rectam* a

qua distinguitur facie tota, glabritie, seu potius pilis rarioribus, foliolis basi multo magis angustatis, corymbo laxo divaricato, petalis minoribus. De Cand. l. c.

25. P. RECTA. L. — P. foliis quinatis septenatisque; foliolis oblongis sæpiusque stipulis inciso-dentatis; petalis pallidis obcordatis calyce majoribus; caule erecto.

P. recta *L. Sp. pl. ed.* 1ª 1. *p.* 497. *ed.* 2ª. 1. *p.* 711. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1100. (exclusis synon. Jacq. ad Pot. canescentem pertinente, et C. B. ad sequentem referendo).

Quinquefolium Theophrasti album *Tabern. Icon.* 120. (fide herb. Bauhin).

Quinquefolium erectum luteum vel album. *C. B. pin.* 325. (ex sched. Bauh.)

Pentaphyllum majus flore subluteo, interdum albo et rubro. *Lob. Hist. stirp. p.* 393. *c. Icon.*

Quinquefolium montanum, erectum, hirsutum, humile, amplo luteo flore, folio subtus incano. *Mich. pl. Florent. n.°* 155. (fide herb. *Vaillant*).

Pentaphyllum rectum majus. *Bauh. Hist.* 2. *p.* 397. *c. Icon.* (1) *Mapp. Als. p.* 256.

Quinquefolium montanum, erectum, hirsutum, luteum. *Garid. Aix. p.* 393. t. 83. (mediocr.) (non C. B.)

Fragaria caule erecto, foliis quinis et septenis, acute serratis. Hall. helv. 1121.

Fragaria recta. *Crantz fasc. p.* 79. (2).

P. pallens. *Mönch. meth. p.* 660.

---

(1) In Alsatia spontaneam post. J. B. locis asperis, inque collibus herbidis e. gr. circa Béfort, Danbach, Colmar, legi.

(2) Duce Crantzio P. *rectam* in collibus ad Dornbach prope Vindobonam (1810) legi, et ad specimen loco citato lectum iconem delineandam curavi; quum *P. recta* Jacq. austr. t. 383 ab auctoribus perperam huc relata non Linnæi sit planta, sed species nova a D. Dr. Besser Pot. canescentis nomine salutata.

P. recta. *Allion. ped.* 1476. *Poiret Encycl.* 5. *p.* 589. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 457. *Lapeyr. Pyren. p.* 288. *M. a Biberst. Taur. Caucas.* 1. *p.* 405. *Wahlenb. Fl. Carpath. p.* 154. *Besser Flor. Gallic. aust.* 1. *p.* 329. (omnibus exclusa icone Jacquini).

Icon. *Tab.* 6.

Habit. in collibus apricis herbidis Tauriæ, Caucasi, Carpathorum, Austriæ, Germaniæ, Italiæ, Helvetiæ, Galliæ, inque Pyrenæis. ♃ (v. v.)

Caulis erectus pedalis et ultra, basi purpurascens, pilis albis patentibus longiusculis mollibusque ut et petioli, foliola, calycesque vestitus. *Folia* radicalia caulinaque inferiora longe petiolata, septenata, superiora quinata, decrescente petiolo gradatim subsessilia; foliola oblonga inciso-dentata, læte virentia. *Stipulæ* forma variæ, lineari-lanceolatæ, integræ vel inciso-dentatæ, in diversis speciminibus ex una radice enatis; superiores sensim latiores in foliolum unicum sessile lanceolatum desinentes. Caulis superne subdichotomo-corymbosus. *Flores* magni, dichotomales longiuscule ceteri breviter pedicellati. *Bracteolæ* lineari-lanceolatæ, laciniis calycinis semi-lanceolatis acuminatis æquales, interdum et paulo longiores. *Petala* obcordata, constanter pallide sulphurea, calycem superantia. *Akenia* rugulosa.

Obs. I. *Tab.* 6. superiorem caulis partem litt. A. exhibet, magnitudine naturali. Fig. B. frustulum ejusdem, stipula integra; C. stipula inciso-dentata repræsentat.

Obs. II. Species quoad locum natalem et culturam valde varians, Botanicos quam maxime cruciavit.

Variat: caule elatiore ramosissimo; necnon pedunculis subradicalibus longissimis, unifloris; calycisque laciniis trifidis, simplicibus mixtis; denique foliis pinnatifido-dentatis.

Talem, foliis pinnatifido dentatis, hirsutieque omnium partium majore distinctam, circa Arelatum Galliæ meridionalis legit cl. De Candolle, et mecum benevole communicavit.

Cæterum in numerosis a me perscrutatis speciminibus, petala constanter observavi sulphurea.

Obs. III. Ex specimine P. rectæ in ipso monte *Follatel* Vallesiæ lecto, ubi b. Hallerus indicat, de synonymi Halleriani identitate edoctus fui.

26. P. obscura. *W.* — P. foliis septenatis quinatisque; foliolis ovali oblongis sæpiusque stipulis inciso-dentatis; petalis aureis obcordatis longitudine calycis; caule erecto obscure purpureo.

P. obscura. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1100. *Marsch. a Biberst. Taur. Cauc.* 1. *p.* 405.

P. recta *β. Poiret Encycl.* 5. *p.* 589.

P. recta. *Vill. Delph.* 3. *p.* 569. (exclus. synon.) ex ipso auctore.

Quinquefolium Theophrasti majus. *Tabern.* (fide herbar. C. B.)

Pentaphyllum hirsutum, erectum, rubente caule. *Hort. Cath.* (ex herb. Vaillant).

Habitat in Sibiria, Tauria, Caucaso. ♃. (v. v. h. A.)

Similis præcedenti et forsan varietas.

Differt: caule obscure purpureo, foliis saturatius viridibus, hirsutie majore omnium partium, corollis constanter aureis, petalis calycem æquantibus; cætera præcedentis.

E seminibus in horto academico Argentinensi pluries enata, constantissima permansit.

Obs. Fratres Bauhini, hanc cum præcedente tanquam varietates jam distinxisse, ex herbario C. B. quod coram habeo, edoctus sum. Tournefortius (1) primitus synoyma separavit.

27. P. pedata. — P. foliis pedatis; foliolis lanceolatis serratis, stipulis indivisis; petalis obcordatis calycem superantibus, caule erecto.

---

(1) Inst. R. H. p. 297.

P. rubens. *Allion. pedem. n.°* 1486. (excl. synonym.) ex autopsia herbar. *Allion.*

P. pilosa *De Cand. Fl. Fr.* 5. *p.* 540. fide speciminis ex ipso auctore.

Icon. *Tab.* 7.

Hab. in collibus calidioribus Liguriæ, inque locis apricis et saxosis Pedemontii. ♃ (v. v. h. A.)

Caulis erectus, cubitalis, ratione magnitudinis plantæ infirmus atropurpureus, ut et petioli pedunculi calycesque pilis patentibus mollibus dense obsitus. *Folia* radicalia caulinaque inferiora pedata, foliolis 5-7; summa tripartita in stipulis sessilia; foliola lanceolata basi tenuiter angustata profunde serrata, supra glabra, subtus margineque pilis raris adpressis tecta; petiolis caule concoloribus. *Stipulæ* lanceolatæ acuminatæ, interdum dente uno alterove. Caulis superne dichotome-paniculatus, panicula laxa; *Flores* magni, primario centrali non ex dichotomia, sed laterali; *Bracteæ* ovali-lanceolatæ, laciniis calycinis semi-lanceolatis acuminatis plerumque longiores. *Petala* obcordata aurea, calyce multo majora. *Receptaculum* pistillis tectum insigniter prominens, subovatum, fraga juvenilia æmulans. *Akenia* lævia, marginulata.

Perelegans hæc species ab omnibus hucusque cognitis congeneribus foliorum structura diversa.

28. P. LACINIOSA. *Kit.* — P. foliis septenatis quinatisque; foliolis oblongis laciniato-pinnatifidis, stipulis incisis: caule erecto rubente hirto.

P. laciniosa. *Waldst. et Kitbl. pl. Hung.*

Quinquefolium montanum, erectum, hirsutum, parvo luteo flore, segmentis foliorum profunde et eleganter incisis. *Mich. pl. flor.* 154. (fide herb. Vaillant.)

Quinquefolium rectum, majus, tenuius, et villosius, Pannonicum? *Bauh. Hist.* 2. 398.

Hab. in Hungaria. ♃. (v. v. h. A.)

Caulis erectus pedalis, obscure purpureus, hirsutus, foliis calycibusque scabriusculus. *Folia* radicalia caulinaque inferiora septenata reliqua quinata : foliolis oblongis laciniato-pinnatifidis ; stipulis incisis. *Panicula* stricta, pedunculis unifloris filiformibus. *Bracteolæ* lineares laciniis calycinis semi-lanceolatis acuminatis æquales ; petala obcordata, lutea, calyce æqualia.

Obs. Ab hac toto cœlo diversa est P. *incisa* hort. Paris.

29. P. HIRTA. *L.* — P. foliis septenatis quinatisque ; foliolis cuneiformibus superne incisis, caule erecto paucifloro, prolixe piloso.

P. hirta. *L. Sp. pl. ed.* 1ª 1. *p.* 497. *ed.* 2ª 1. *p.* 712. (exclus. syn. Bauhin.)

P. hirta. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1102. *Vill. Delph.* 3. *p.* 570. *Krocker Siles.* 2. *p.* 167. *M. a. Biberst. Taur. Cauc.* 1. *p.* 406. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 457 (exclusa patria Alsatia.) *Loisel. Fl. Gall.* 1. *p.* 501. *Lapeyr. Pyr. p.* 288.

Quinquefolium montanum, erectum, hirsutum, luteum. *Magn. Monsp.* 216. (non C. B.)

A. Caule erecto simplici paniculato.

P. (hirta), *Auctor. Allion. ped.* 1478. *t.* 71 (1). (excl. syn. Bauh. Vill.) et ex autopsia speciminis a cl. *Balbis* communicati.

B. Caule decumbente viscidulo.

P. (pilosa) erecta, foliis quinatis cuneato-linearibus apice profunde serratis, hirsutis, summis ternatis, pedunculis viscosis. *Vill. Delph.* 3. *p.* 570. (fide herb. Villars.)

P. sibirica *Patrin. mnspt.* (ex herb. Juss.)

Hab. in collibus apricis Tauriæ, Silesiæ, Europæ australis, inque Pedemontio et Pyrenæis. ♃. (v. s.)

Species ratione loci natalis valde varians, sed foliolis cuneifor-

(1) Figura Allionii, mediocris, sane huic speciei tribuenda, etsi descriptio omnino conveniat ; sed forsan pictoris incuria corolla perperam calyce æqualis tribuenda.

mibus superne incisis, necnon corollis magnis aureis ab affinibus diversa.

30. P. GERANIOIDES. *W.* — P. foliis quinatis, prolixe pilosis; foliolis subpalmato pinnatifidis, laciniis linearibus; caule decumbente.

P. geranioides. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1101.

Quinquefolium orientale humifusum, tenuissime laciniatum. *Tournef. Cor.* 21 *et Herbar.*

Icon. *Tab.* 5. *fig.* 1.

Hab. in Armenia, Syria. 2. (v. s. herb. Tournef.)

Caules plurimi ex una radice, decumbentes, tri-quadriunciales. *Folia* quinato digitata, undique, præsertim subtus, pilis albis tecta; foliola profunde pinnatifida, laciniis linearibus. *Stipulæ* lanceolatæ indivisæ. *Flos* parvus, luteus, (P. argenteæ) petalis obcordatis calyce paulo longioribus.

31. P. CANESCENS. *B.* — P. foliis quinatis; foliolis subcuneato-oblongis profunde inciso dentatis, subtus villoso-lanuginosis canescentibus, ad oras pilosis; panicula multiflora, caule erecto.

P. canescens. *Besser Fl. Gallic. austr. n.°* 607. *De Cand. Fl. Fr.* 5. *p.* 541.

P. inclinata. *Vill. Delph.* 3. *p.* 567. *t.* 45. *mala.* (fide specim. ej. herbar.) *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1102. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 461. *Loisel. Fl. Gall.* 1. *p.* 301. *M. a Biberst. Taur. Cauc.* 1. *p.* 407. (exclus. syn. Clus. quod P. vernæ tribuendum);

P. adscendens. *Waldst. et Kitbl. rar. Hung.*

P. Güntheri. *Spreng. Pl. min. cogn.?*

P. recta. *Jacq. austr. t.* 383. (quoad iconem): *et forsan plurium Floristarum.*

P. intermedia. *Wahlenb. Flor. Carpath. p.* 154. (non Linnæi.)

P. viminea. *Schrad.* (fide specim. ex hort. Vindobon.)

Icon. *Jacq. austr. t.* 383. *optima.*

Hab. in collibus asperis Tauriæ et Carpathorum, inque ruderatis et ad muros Austriæ, Germaniæ, Galliæ. 24 (v. v.)

E *radice* crassa, perenni, nigra, obliqua, horizontaliter fibrillas emittente, exsurgunt cauliculi plures, pedales, basi inclinati purpurascentes, erecti, canescentes a tomento tenui immixtis longioribus pilis. *Folia* radicalia longius, caulina breviter petiolata, quinata; foliola subcuneato oblonga, profunde inciso-dentata, sursum rariter pilosa, sed subtus villoso-canescentia dentibus ad oras pilosis. *Stipulæ* (ut in P. recta) integræ vel incisæ, lanceolato-acuminatæ, villosæ. *Panicula* corymbosa multiflora, laxa; floribus omnibus præsertim peracta anthesi, longiuscule pedicellatis. *Folia* ad dichotomiam trifoliata. *Calyx* valde pilosus : bracteolæ lanceolatæ, segmentis calycinis semi-lanceolatis æquales. *Petala* cuneiformia subretusa, calycis lacinias æquantia. (Flos magnitudine P. vernæ.)

Accedit ad P. rectam et argenteam, inter utrasque quasi media, uti bene monuit b. *Villars* in mnspt. A P. recta Linnæi cui solito refertur icon Jacquini, primo intuitu differt : parvitate coloreque florum, nec non canitie foliorum.

Obs. I. A Pot. *intermedia* recedit, caulibus erectis, s. firmioribus, stipulis sæpe incisis, et canitie partium.

Obs. II. Plures per annos in horto academico Argentinensi cicurata, sensim in P. *vimineam*, quam in hort. Vindobon. (1810) legi, transiit.

Obs. III. Hanc speciem a cl. Jacquino in Austriæ Flora male sub nomine P. rectæ L. fuisse delineatam, b. a *Schreber* jam anno 1783 schedis herbarii sui inscripsit.

32. P. ARGENTEA. *L.* — P. foliis quinatis; foliolis cuneiformibus superne incisis, margine revolutis, subtus candido-tomentosis; caule decumbente.

P. argentea. *L. Sp. pl. ed.* 1ª. 1. *p.* 497. *ed.* 2ª. 1. *p.* 712. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1101. *Smith Brit* 2. *p.* 549. *Vill. Delph.* 3. *p.* 571. *De*

Cand. Fl. Fr. 4. p. 461. M. a Biberst. Taur. Cauc. 1. p. 407 Besser Fl. Gallic. austr. p. 331.

Pentaphylloides rectum, foliis profunde sectis, subtus argenteis, flore luteo. *Bauh. Hist. 2. p. 397.*

Quinquefolium folio argenteo. *C. B. pin. 325. Mapp. Als. p. 256.*

Icon. *Flor. Dan. t. 865. Engl. Bot. t. 89.*

β. P. (impolita.) Foliis quinatis : foliolis suboblongis pectinatim incisis utrinque villosis : laciniis subserratis, stipulis pinnatifidis, caule erecto cymoso. *Wahlenb. Fl. Carpath. p. 155.*

Hab. ad versuras agrorum, inque ruderatis Europæ. ♃ (v. v.)

Planta ratione loci natalis valde varians. Occurrit foliis latioribus et angustioribus, plus minusve candicantibus incisisque : stipulis in eodem caula integris vel divisis.

P. *impolitam* haud distinctam esse censeo, quum plantæ mihi non visæ essentialem differentiam ex scriptis auctorum eruere non valuerim.

Aliam hujus speciei varietatem Vratislaviæ lectam sub nomine P. *Wimannianæ* Gunther accepi, quæ et circa Parisios provenit. In utraque planta folia quinata, foliolaque cuneiformia superne tantum incisa, stipulæ integræ vel in *Wimanniana* dente uno alterove. *Differt :* candore minore, nec non marginibus foliolorum planis nec revolutis, et habitu graciliore.

33. P. stipularis. *L.* — P. foliis radicalibus novenis septenatisve ; caulinis in stipula magna sessilibus, omnium foliolis lineari-oblongis subintegris.

P. stipularis. *L. Sp. pl. ed. 1ª. 1. p. 498. ed. 2ª. 1. p. 712. Willd. Sp. pl. 2. p. 1103.*

Icon. *Gmelin Sib. 3. t. 37. f. 2.*

Hab. in Sibiria. ♃.

34. P. intermedia. *L.* — P. foliis radicalibus septenatis longissime

petiolatis, caulinis quinatis; foliolis ovali-oblongis cuneatis profunde serratis; stipulis indivisis, caule dichotomo decumbente.

P. (intermedia) foliis radicalibus quinatis, caulinis ternatis, caule erectiusculo ramosissimo. *Linn. Mant. p.* 76. *et Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1101. (exclusis synonymis.)

P. (intermedia) foliis septenatis quinatisve crenato-incisis, oblongis hirsutis, caule ramoso erectiusculo. *Villars Delph.* 3. *p.* 568. (exclusis synonym.) *ex ipso auctore.*

P. intermedia. *Schleich. Cent. De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 458.

P. villosa. *Hall. fil. et* P. inclinata. *Vill.* (male) *ex autopsia specimin.* Dom. Seringe.

Icon. *Tab.* 8.

Hab. in Helvetia, Delphinatu. ♃. (v. v. h. A.)

Media inter Pot. norvegicam et argenteam; verbo, esset Pot. norvegica, si non radix esset perennis et folia subradicalia quinata. Cæterum folia inferiora alterna, superiora opposita. Foliola obovata, inciso-serrata, non tomentosa, serraturis novem; folia caulina ternata, paniculæ opposita. *Linn. l. c.*

Caulis dodrantalis (in planta spontanea) gracilis, ut et petioli pedunculi calycesque patenti-pilosus. *Folia* radicalia caulinaque infima septenata (interdum et novenata), reliqua quinata, summa trifoliata opposita : foliola undique pilis raris adpressis obsita, serraturis (in spontanea planta) profundioribus. *Stipulæ* linearilanceolatæ, acuminatæ. Caulis superne dichotomo-paniculatus, ramulis oppositis. *Flores* dichotomales longiuscule pedicellati, post anthesin erecti. *Bracteolæ* lineari-lanceolatæ, laciniis calycinis semilanceolatis acuminatis æquales. *Petala* obcordata flava, calyce paulo longiora. *Akenia* rugulosa.

Flores magnitudine. P. *vernæ.*

Obs. I. Pot. *intermedia.* L. ob falsa ab ipso auctore illi tributa synonyma Botanicos maxime vexavit. Plerique Pot. *canescentem* huc retulerunt, quum Linnæus tamen expressis verbis dixit *folia*

non esse tomentosa. C. B. synonymon ex optima descriptione Prodromi, nec non ex autopsia herbarii Bauhiniani, sine dubio ad Pot. *opacam* spectat, ut b. Hallerus in Histor. Stirp. 1120 jam monuit.

Obs. II. Haud raro P. *intermedia*, in hortis herbariisque sub nomine *opacæ* mihi obvia. Huc forte pertinet et P. *parviflora* Gaudin (1), sed ob specimen incompletum ab ipso auctore missum, dubius de identitate adhuc hæreo.

35. P. incisa. *Desf.* — P. foliis radicalibus quinatis, longe petiolatis; foliolis oblongo-cuneatis ad apicem inciso-plurifidis; petalis calycem superantibus, caule subdichotomo decumbente.

P. incisa. *Desfont. Cat. Hort. Paris.*

Icon. *Tab.* 4. *f.* 1.

Hab. . . . . ♃. (v. s. Herb. Desf.)

Caulis decumbens, dodrantalis, gracilis, ut et totius plantæ partes patenti-pilosus. *Folia* radicalia quinata; foliolis undique pilis sparsis rufescentibus vestitis, lobo medio trifurcato: caulina trifoliata, summa simplicia trifida vel integra, stipulis ovali-lanceolatis indivisis denticulatisve insidentia. *Flores* longe pedicellati, peracta anthesi nutantes. *Bracteolæ* lineari-lanceolatæ foliolis calycinis ovato-lanceolatis æquales. *Petala* cuneato-obcordata, flava. *Akenia* lævia.

36. P. verna. *L.* — P. foliis radicalibus septenis quinatisve; foliolis obovalibus utrinque virentibus subtus pilosis: petalis obcordatis calyce longioribus, caule debili procumbente.

P. (*verna.*) foliis radicalibus quinatis acute serratis, caulinis ternatis, caule declinato. *Linn. Sp. pl. ed.* 1ª 1, *p.* 498. (*exclus. syn. Hall. et Bauh.*) *ed.* 2ª 1. *p.* 712. (*exclus. syn. altero C. B. et Clusii.*) *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1104. (*exclus. synon. Allion. et Jacquin.*) *Vill. Delph.* 3. *p.* 564. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 460. *Loisel. Fl. Gall.* 1.

(1) In *Guide du Voyageur botaniste dans le Valais.*

p. 302. *(exclus. Icon. Fl. Dan.) Smith Brit.* 2. *p.* 550. *Spreng. Fl. Hal. p.* 148. *Besser Fl. Gall. austr.* 1. *p.* 334.

Fragaria caule decumbente, foliis quinatis serratis subhirsutis. *Hall. Helv. p.* 1119.

Fragaria foliis ternatis quinatisque subtus canis, caulinis ternatis. *Crantz fasc. p.* 74. *t.* 1. *f.* 1. *bona.*

Quinquefolium quartum flavo flore prima species. *Clus. Hist.* 2. *p.* 106. *ic.* (ex sched Bauhin.)

Quinquefolium minus repens luteum. *C. B. pin.* 325. *et Herbar.*

Pentaphyllum minus molli lanugine pubescens flore luteo. *J. B.* 2. *p.* 397. *c. icon.*

Pentaphyllum s. Quinquefolium minus. *Tabernæm.* 354. *Icon. Mapp. Als. p,* 256.

P. *(serotina.)* foliis quinatis, cuneatis, apice incisis hirsutis, caulinis ternatis, petalis emarginatis. *Vill. Delph.* 3. p. 564. *Icon. Engel. Bot. t.* 37.

β P. (rubens) foliis quinatis et septenatis, caule suberecto, petalis cordatis aureis maculatis. *Vill. Delph.* 3. *p.* 566.

P. sabauda *Vill. ined.* (ex ipso auctore.) *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 458. *Loisel. Fl. Gall.* 1. *p.* 302.

P. aurea. *Fl. Dan.* 114. quoad iconem.

P. verna *M. a Biberst. Taur. Cauc.* 1. *p.* 408. *Wahlenb. Fl. Lapp. p.* 146.

P. juratensis. *Seringe cent. exs.*

Fragaria (villosa) foliis radicalibus quinatis, obtuse et alte serratis: floribus subopposilis, petalis maculatis. *Crantz fasc. p.* 75. *t.* 1. *f.* 2, bona. *Hall. Helv.* 1119. *var. β.*

γ. P. (salisburgensis) foliis hirsutis inciso serratis obtusis, radicalibus quinatis, caulinis ternatis : caule ascendente compresso pauciflore, calycibus subdentatis. *Jacq. coll.* 2. *p.* 68. Icon. *pl. rar.* 3. *t.* 490.

P. (filiformis) caule prostrato, foliis quinatis et septenatis oblongis serratis, caulinis ternatis stipulatis, pedunculis subradicali-

bus elongatis. *Vill. Delph.* 3. *p.* 564. *Lapeyr. Fl. Pyr. p.* 289. (excl. syn. Hoppii.) *De Cand. Fl. Fr.* 5. *p.* 542.

P. pyrenaica. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 459. (ex fide specim. herb. Desfont.)

P. ascendens. *Lapeyr. Fl. Pyr. p.* 289.

P. crocea. *Hall. Fil. ined.* ex specim. Schleicher.

P. verna. *Wahlenb. Fl. Carpath. p.* 155.

Hab. in Europæ et Asiæ borealis pascuis siccis, regionibusque subalpinis. ♃. (v. v.)

Obs. I. *Planta*, etsi vulgatissima, ratione loci natalis maxime varians, Botanicos pluries fefellit.

Varietas α. ubique in pascuis siccis et ad muros proveniens, magnitudine, habitu et pubescentia ludit : talem varietatem *nanam*, caule unciali, in summorum alpium Delphinensium monte dicto *Galibier* lectam, a cl. *Candollio* accepi, *P. Braunianam* valde æmulantem ; sed foliis quinatis foliolisque undique pilosis constanter diversam : alteram *hirsutam*, in altis Pyrenæis montis dicti *Cambredases* incolam, quæ, nonnisi caule biunciali foliisque prolixe pilosis, a P. *verna* vulgari recedit. Floribus saltem minoribus, petalisque immaculatis a sequenti tamen diversa est hæc var. α.

Var β a pluribus auctoribus tanquam genuina species salutata, regionibus alpinis subalpinisque videtur propria, nec in planitiem vel infra elevationem circiter 3500 pedum supra mare descendit ; occurrit in regionibus infralpinis Norvegiæ, Carpathorum, Austriæ, Helvetiæ, Jurassi, Vogesorum, etc. : differt à priori, caule elatiore pedunculis elongatis, foliolis rotundioribus magisque hirsutis, floribus majoribus, petalis calycem multum superantibus, basi macula aurea notatis. Transeunt sensim specimina. P. *sabaudæ* in Var. γ, nomine P. *salisburgensis* a cl. Jacquin egregie depictam, differt à priori ; caule dodrantali, interdum et fere pedali, versus apicem glabriusculo : hujus individua majora iterum *Pot. pyrenaicæ* De Cand. persimillima ; ita ut, collatis numerosis speciminibus, nullos limites inveniam quibus apte distinguantur varietates.

Obs. II. Varietati secundæ valde similis est, sed omnino distincta vera *P. grandiflora* L. foliis non tantum omnibus trifoliatis, sed ut optime monuit cl. Wahlenberg (1), foliolo intermedio per petiolum proprium præ cæteris elevato ; tandem caule villosiore.

Obs. III. P. *subacaulis. L.* nullomodo ut varietas hujus speciei consideranda, quoniam pube stellulata ab affinibus insigniter differat.

37. P. cinerea. *Chaix.*—P. foliis quinatis ; foliolis obovalibus obtuse dentatis subtomentosis, pube simplici stellataque cinerascentibus ; petalis calyce majoribus, caule procumbente.

P. cinerea *Chaix in Vill. Fl. Delph.* 3. *p.* 567.

P. opaca *Vill. Fl. Delph.* 3. *p.* 566. (*non Linn.*) *ex ipso auctore.* (exclus. syn. Crantz.) *Pollich. Pal. n°* 498. (ex De Cand.)

P. cinerea. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 460. *Loisel. Fl. Gall.* 1. *p.* 301.

P. arenaria. *Borkhaus.* (ex De Cand.)

P. verna. β *Allion. ped.* 1481. *t.* 24. *f.* 2.

Pentaphyllum montanum minus luteo tormentillæ flore cineraceum. *Barrel. Icon.* 709. (bona.)

Hab. in siccis atque montosis, Vallesiæ, Delphinatus, inque Palatinatu. ♃. (v. s.)

Accedit ad Pot. *vernam*, sed pube stellulata intermixtis pilis simplicibus, florisque majoribus differt.

Egregiam descriptionem dedit Villars l. c.

38. P. opaca. *L.* — P. foliis radicalibus septenatis quinatisve ; foliolis ovali-cuneiformibus dentatis pilosis, petalis obcordatis calyce vix longioribus, caule filiformi decumbente.

P. Foliis radicalibus quinatis cuneiformibus serratis, caulinis subopposítis, ramis filiformibus decumbentibus. *Amœn. acad.* 4. *p.* 274. *Linn. Sp. pl. ed.* 2ª. 1. *p.* 713. (exclus. syn. Prodr. C. B.)

---

(1) Flor. Carpath. p. 156.

P. (opaca.) *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1103. (exclus. synon. Pollich. et altero Bauh.) *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 460. *Loisel. Fl. Gall.* 1. *p.* 301. *Lapeyr. Pyren. p.* 288. (exclus. synon. Villars. et variet. β.) *Spreng. Fl. Hal. p.* 148. *Wahlenb. Fl. Carpath. p.* 155. *Besser Fl. Gallic. austr.* 1. *p.* 333. *M. a. Biberst Fl. Taur. Caucas.* 1. *p.* 408.

Fragaria rubens. *Crantz. fasc. p.* 75.

Fragaria caule suberecto; foliis quinis et septenis serratis, obtusis. *Hall. Helv.* n°. 1120. (ex descriptione et synon. Bauhin. exclus. tamen syn. altero C. Bauh.)

Pentaphyllum parvum hirsutum. *Bauh. Hist.* 2. 397.

Pentaphyllum minus, molli lanugine pubescens. *Bauh. Hist.* 2. 398. (fide herb. Vaill.)

Quinquefolium minus repens lanuginosum luteum. *C. B. pin.* 325. (ex herb. Vaill.)

Quinquefolium montanum erectum hirsutum luteum. *C. B. pin.* 325. *prodr.* 139. (fide specimin. herbar. Bauhin.) *Mapp. Als.* p. 257. (1).

Quinquefolium quartum flavo flore 2ª species. *Clus. Hist.* 2. 106. *c. Icon. bona.*

Quinquefolium aut potius enneaphyllum hirsutum supinum, minus. *Mich. pl. Rom. et Neap.* n° 1115. (ex herb. Vaill.)

Icon. Jacq. pl. rar. t. 91. optima (2).

Hab. in collibus siccis (calcareis?) Austriæ, Germaniæ, Helvetiæ, Galliæ, inque Pyrenæis. ♃. (v. v.)

Species P. *vernæ* valde proxima, Botanicos pluries decepit. Differt caule petiolisque obscure rubentibus, habituque graciliore; foliis radicalibus longissime petiolatis; floribus peracta anthesi cernuis, petalis aureis basi macula fulva notatis.

---

(1) Qui plantam circa Befordiam provenire dicit, ubi et ego ipse a°. 1814 legi.

(2) Jacquini icon omnino convenientissima, sed forte ad exemplar cultum delineata. N.

Ditissimam descriptionem vide in *Amœn acad.*

Obs. P. *vernæ* apud nos semper rarior, nec cespitosim ut illa longe lateque prorepens, sed individuis solitarie provenientibus occurrit. Flores sereno tempore tota die aperti.

39. P. HETEROPHYLLA. *Lapeyr.* — P. foliis radicalibus septenatis hispidis, partim subsessilibus, partim petiolatis caules superantibus; petalis integris calycem æquantibus. *Lapeyr. Fl. Pyr. p.* 289. *t.* 10 (ined.)

Habit. in Pyrenæis. ♃. (Lapeyr.)

Procul dubio ad var. γ. Pot. vernæ L. vel. Pot. salisburgensem Jacq. referenda; sed hucusque dubius hæreo, quum specimina pyrenaica nondum viderim.

40. P. RANUNCULOIDES. *H. B.* — P. foliis radicalibus septenatis quinatisve; foliolis subrotundo obovalibus obtuse dentatis: caule erecto brevi, paucifloro.

P. ranunculoides. *Humboldt* et *Bonpl.* ined.

Icon. *tab.* 3. *f.* 1.

Habit. in radicibus montis Mexicani, *Cerro de las Cruces.* flor. sept. ♃. (v. s. herb. H. et B.)

Radix crassa fusiformis, superne ad imum caulem vetulis stipulis numerose confertimque imbricatis, vestita. *Caulis* vix semipedalis, erectus, pubescens, 1-2 foliatus, ad summitatem paucifloras. *Folia* mediocriter petiolata, petiolo pubente: foliola lateraliter incumbentia, supra glabra, subtus ad nervum medium marginemque parce pilosa; caulina parvula trifoliata s. tripartita. *Stipulæ* lanceolatæ, indivisæ. *Calyx* dense pubescens; bracteolæ oblongo ovales laciniis calycinis breviores. *Petala* calyce paulo longiora, obcordata, lutea. Flos magnitudine P. vernæ.

41. P. PATULA. *W.* et *K.* — P. foliis radicalibus novenis septenisque cuneiformibus ad apicem inciso-dentatis, supra nudis, subtus

pilosis, petalis subretusis, calycis laciniis æqualibus; bracteolis linearibus canaliculatis, caulibus subdeclinatis adpresso pilosis. *Besser Fl. Gallic. austr.* 1. *p.* 332.

P. patula *Waldst. et Kitbl. pl. rar. Hung.* 2. *p.* 218. *t.* 199.

Hab. in montibus Carpathicis. ♃. (v. s.)

Radix perennans multiceps. *Caules* superne ramosi, subdeclinati, subvillosi. *Folia* radicalia longe petiolata, petiolis villoso-pilosis, densissime sub apice, pilis subadpressis. *Foliola* 7-9 cuneiformia, apice 3-5 dentata, dentibus inæqualibus, medio proximis subæquali; supra nuda, subtus pilosa. Folia caulina brevius petiolata, summa sessilia, quinata, ternataque. *Stipulæ* magnæ, ovatæ, acuminatæ. *Flores* pedunculati, parum minores quam in P. verna. Calycis pilosi laciniæ ovatæ, acutæ, bracteolis linearibus canaliculatis longitudine æquales. *Petala* retusa, flava, subtus pallidiora, calyce longiora. *Stamina* pauca, antheris oblongis. Bess. l. c.

42. P. AUREA. *L.* — P. foliis radicalibus quinatis, caulinis trifoliatis; foliolis cuneiformibus margine sericeo-pilosis, ad apicem dentatis: petalis obcordatis, calyce majoribus; caule decumbente.

P. aurea *Lin. Sp. pl. ed.* 2ª. 1. *p.* 712. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1105. *Vill. Delph.* 3. *p.* 565. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 459. *Loisel. Fl. gall.* 1. *p.* 302. *Lapeyr. Pyr. p.* 289. *Besser Fl. Gallic.* 1. *p.* 334. *Wahlenb. Fl. Carpath. p.* 157. *Smith. Fl. Brit.* 2. *p.* 550.

Fragaria caule reclinato, foliis quinis serratis, oris sericeis. *Hall. Helv.* 1122. *t.* 21.

Quinquefolium minus repens alpinum aureum. *C. B. pin.* 325. (ex herb. Tournef.)

Pentaphyllum alpinum splendens aureo flore. *Bauh. Hist.* 2. *p.* 397. *c. Icon. bona*

Quinquefolium quartum aureo flore. *Clus. Hist.* 2. *p.* 106 *c. Icon. bona.*

Icon. Engl. Bot. 561.

β. Varietas flore pleno. *Hall. l. c.*

Hab. in herbidis alpium Helvetiæ, Galliæ, Austriæ, Daniæ, Silesiæ, Carpathorum. ♃. (v. v.)

Obs. A P. *verna* abunde diversa est non tantum ciliis sericeis, verum etiam forma foliolorum fere Alchemillæ alpinæ.

43. P. canadensis. *L.* — P. foliis radicalibus quinatis, caulinis trifoliatis; foliolis obovali-cuneiformibus ad apicem serratis, subtus sericeis; caule filiformi adscendente.

P. canadensis *Linn. Sp. pl. ed.* 1ª 1. *p.* 498, *ed.* 2ª 1. *p.* 713. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1106.

P. (*canadensis*) fragaroides, candicanti-sericea; foliis quinodigitatis, cuneato-obovalibus, inciso-dentatis: calycinis laciniis lineari-lanceolatis: petalis subintegris, orbiculatis. *Mich. Bor. Am.* 1. *p.* 303.

Icon. *Tab.* 10. *f.* 1.

Hab. in Canada ad Carolinam superiorem. ♃. (v. s. herb. R.)

†† *Foliis digitatis.*

B. *Receptaculo hirsuto, v. valde piloso.*

44. P. alba. *L.* — P. foliis radicalibus quinatis, caulinis trifoliatis; foliolis ovali-oblongis ad apicem conniventi-serratis; supra glabris, subtus sericeo-canis; caule filiformi decumbente, foliis breviore.

P. alba. *Linn. Sp. pl. ed.* 1ª 1. *p.* 498. (exclus. var. β.) *ed.* 2ª 1. *p.* 713. *Willd. Spl. pl.* 2. *p.* 1106, *Poiret Encycl.* 5. *p.* 596. (exclus. var. A.) *Vill. Delph.* 3. *p.* 573. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 466. *Loisel. Fl. Gall.* 1. *p.* 302. *Lapeyr. Pyren. p.* 290. *Smith Brit.* 2. *p.* 51. *Spreng. Hal. p.* 148. *Besser Gallic.* 1. *p.* 335. *Marsch. a. Biberst. Taur. Cauc.* 1. *p.* 408. *Wahlenb. Carpath. p.* 157. *Gmel. Bad.* 2. *p.* 450. (exclus. syn. Haller).

Fragaria (*alba*) petiolis et foliis quinatis, caule procumbente fere altioribus. *Crantz. fasc. p.* 78.

Quinquefolium album majus alterum. *C. B. pin.* 325. *Mapp. Als. p.* 256.

Quinquefolium 1. majus albo flore. *Clus. Hist.* 2. 105. *c. Icon.* Icon. Jacq. austr. t. 115. Engl. bot. t. 1384.

Hab. in subalpinis Styriæ, Austriæ, Pannoniæ, inque herbidis sylvaticis Germaniæ, Galliæ; in Pyrenæis, et Caucaso. ♃. (v. v.)

Varietas A. cujus verba facit Poiret l. c. ex autopsia herbarii ill. de Lamarck ad P. *Vaillantii* removenda.

45. P. CAULESCENS. *L.* — P. foliis radicalibus quinatis, caulinis trifoliatis; foliolis ovali-cuneiformibus ad apicem conniventi-serratis; petalis obovatis calycis longitudine, caule filiformi decumbente multifloro, foliis longiore.

P. caulescens. *Linn. Sp. pl. ed.* 2.ª 1. *p.* 713. (exclus. syn. Clus.) *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1106. *Vill. Delph.* 3. *p.* 572. *Allion. pedem.* 1482. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 464. *Loisel. Fl. Gall.* 1. *p.* 302. *Lapeyr. Pyr. p.* 290. *Hoffm. Germ.* 1. *p.* 235. *Krocker Siles.* 2. *p.* 173.

Fragaria foliis ovatis, apice serratis, oris sericeis, pappo placentæ longissimo. *Hall. Helv.* 1123. (exclusis synon. Clus.)

Pentaphyllum rectum flore albo. *Raj. Hist.* 1. *p.* 614.

Quinquefolium album majus caulescens. *Bauh. pin.* 325. *prodr.* 139. et

Quinquefolium album minus alterum. *Bauh. pin.* 325. (ex herbar. Bauhin).

Quinquefolium alpinum album. *Gesn. fasc.* 1. 60. *t.* 30. *n.°* 98. (ex Vill.)

Quinquefolium alpinum album majus viscosum et pendulum. *Mich. pl. Rom. et Neapol. n.°* 991. (ex herb. Vaill).

Icon. Jacq. austr. t. 220. optim.

Hab. ad rupes alpium Austriæ, Styriæ, Helvetiæ, Galliæ, in Pyrenæis. ♃. (v. v.).

46. P. CLUSIANA. *M.* — P. foliis radicalibus quinatis, caulinis trifoliatis; foliolis ovali-cuneiformibus ad apicem conniventi-serratis; petalis subrotundis calyce longioribus; caule filiformi decumbente paucifloro, foliis longiore.

P. (clusiana) foliis quinatis apice conniventi-serratis, caulibus multifloris decumbentibus, receptaculis hirsutis, petalis subrotundis. *Murr. Syst. ed.* 14. *p.* 478. *Hoffm. Germ.* 1. *p.*

Fragaria caulescens. *Crantz fasc.* 1, *p.* 78.

Quinquefolium 2. minus albo flore. *Clus. Hist.* 2. *p.* 105. *c. Icon. bona.*

Pentaphylloides foliis inferne et superne incanis. *Bauh. Hist.* 2. *p.* 398. (ex descriptione).

Quinquefolium alpinum album minus pendulum et nonnihil viscosum. *Mich. pl. Rom. et Neap. n.°* 799. (ex herb. Vaill).

Icon. Jacq. Fl. austr. t. 116.

Hab. in alpibus summis Austriæ, Styriæ. ♃. (v. s.)

Simillima præcedenti, tamen distincta: foliolis apice 3—5 dentatis, corymbo paucifloro, i. e. floribus 5—10, petalis subrotundis candidis; calycem superantibus, denique statura minore.

47. P. LUPINOIDES. *W.* — P. foliis septenatis quinatisve; foliolis subrotundo-obovalibus ad apicem conniventi-serratis, utrinque sericeo-villosis; petalis obcordatis calyce brevioribus, caule erecto villoso.

P. (*lupinoides*) foliis quinatis utrinque sericeo-villosis, foliolis obovatis apice obtuse dentatis, petalis calycis longitudine, receptaculis lanatis. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1107. *Poiret Encycl.* 5. *p.* 598. *B.* P. Valderia. *Vill. Delph.* 3. *p.* 372. (exclus. synonym.) *ex ipso auctore.*

P. nivalis. *Lapeyr. mem. Toul.* 1. 210. *t.* 16. *optim. Fl. Pyr. p.* 290. *Poiret Encycl.* 5 *p.* 598. *A.* (sub P. Valderia). *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 465. *Loisel. Fl. Gall. p.* 303.

β. P. (*integrifolia*) foliis quinatis, caulinis monophyllis, foliolis

lanceolatis acutis integerrimis stipulas æquantibus, subtus villosis; caulibus erectis; floribus corymbosis; calycibus petala superantibus. *Lapeyr. Fl. Pyr. p.* 291. *De Cand. Fl. Fr.* 5. *p.* 543.

Hab. in rupibus frigidioribus alpium Provinciæ, Delphinatus, inque Pyrenæis. ♃. (v. s.)

Simillima sequenti, sed diversa : caule palmari gracili; foliis utrinque sericeo-villosis, nec tomentosis; foliolis ad apicem tantum dentatis, denique forma petalorum.

Obs. I. Willdenowii nomen specificum retinui quum optime habitum formamque foliorum exprimit; etsi multæ inter congeneres regionum nivalium sint incolæ.

Obs. II. Variet. β. nonnisi foliis caulinis lanceolatis acutis integerrimis stipulas æquantibus differt. De Cand. l. c.

48. P. VALDERIA. *L.* — P. foliis septenatis quinatisve; foliolis obovalibus serratis, utrinque sericeo-tomentosis; petalis ovalibus rotundatis calyce brevioribus, caule erecto tomentoso.

P. (valderia) foliis septenatis obovatis serratis tomentosis, caule erecto, petalis calyce brevioribus, receptaculis lanatis. *Linn. Sp. pl. ed.* 2.ª *p.* 714. *Willd. Sp. pl.* 2. 1108. (exclus syn. Tournef). *Allion. Ped.* 1484. *t.* 14. *f.* 1. (exclus synon. Lamarck). *Poiret Encycl.* 5. *p.* 598. (exclus. synon.). *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 465. *Loisel. Fl. Gall. p.* 303.

Hab. in alpibus Pedemontanis, Valderianis et Vinadensibus, ut etiam supra Tendam. ♃. (v. s.)

Planta sericeo-tomensosa. *Caulis* erectus fere pedalis, firmus. *Folia* radicalia septenata, caulina quinata, summa trifoliata decrescente petiolo in stipulis sessilia : foliola ut plurimum toto ambitu serrata. *Stipulæ* lanceolatæ acuminatæ, integræ vel dentatæ. *Flores* corymboso-dichotomi, conferti. *Bracteolæ* subulatæ, laciniis calycinis semi-lanceolatis acuminatis æquales.

Obs. In hac et præcedente specie bracteolæ haud raro bifidæ observantur.

49. P. ALCHEMILLOIDES. *Lapeyr.* — P. foliis septenatis quinatisve; foliolis ovali-oblongis ad apicem tri-multidenticulatis, subtus sericeo argenteis; bracteolis lineari-subulatis longitudine calycis : caule suberecto.

P. alchemilloides, *Lapeyr. Act. Tolos* 1. *p.* 212. *t.* 17. *Flor. Pyr. p.* 291. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 466. *Loisel. Fl. Gall.* 1. *p.* 303.

Quinquefolium Pyrenaicum folio subtus argenteo. *Tournef. J. R. H.* 297. *et herbar.*

Hab. in rupibus calcareis Pyrenæorum. ♃. (v. s.)

Caulis erectiusculus simplex, 6—9 uncialis, canescens. *Folia* radicalia longe petiolata stipulis subulatis : caulina quinata, summa trifoliata; omnium foliola inferne sensim in acutum angustata, supra viridia glabra villo candido veluti cincta. *Panicula* breviter ramosa confertiuscula, floribus breviuscule pedicellatis, pedicellis calycibusque lanuginoso-incanis. *Petala* candida, subrotundo obcordata, calyce paulo longiora.

Planta in genere speciosissima, hucusdum nonnisi in Pyrenæis obvia.

50. P. COMAROIDES. *H. et B.*—P. foliis radicalibus quinatis, caulinis trifoliatis; foliolis obovalibus ad apicem quinquedentatis, subtus sericeo-canis : bracteolis ovali-lanceolatis calyce brevioribus; caule adscendente.

P. comaroïdes. *Humboldt* et *Bonpland. ined.*

Icon. *Tab.* 4. *f.* 3.

Hab. in devexis montis ignivomi *Jorullo*, altitudine 520 hexapodar. regione calidissima Nov. Hispan. *Flor. sept.* ♃. (v. s. h. H. et B.)

Caulis adscendens simplex adpresso pubescens. *Folia* radicalia breviter petiolata, stipulis subulatis : foliola supra obscure viridia, pilis minutis adpressis rariter conspersa; caulina pusilla remota trifoliata s. tripartita. *Panicula* pauciflora, floribus longiuscule pedicellatis, magnitudine P. rectæ. *Bracteolæ* oblongo-ovales, ob-

tusiusculæ, utrinque adpresso pilosæ, laciniis calycinis manifeste breviores. *Calyx* pilis brevibus villosus, intus petalis concolor. *Petala* atropurpurea lato-obcordata, calyce multo longiora. *Receptaculum* convexum. ~

Obs. I. Pluribus notis affinis est hæc species *Comaro* Linn. et cum eo convenit : 1.° colore petalorum atrorubente, 2°. foliis calycinis petalis intus concoloribus, 3°. elevatione receptaculi, 4°. forma antherarum.

51. P. NITIDA. *L.* — P. foliis quinatis trifoliatisque ; foliolis ovali-cuneiformibus utrinque sericeo-villosis, ad apicem conniventi-tridentatis ; petalis rotundatis calyce longioribus, caule unifloro.

P. (nitida) foliis quinatis tomentosis conniventi-tridentatis, caulibus unifloris receptaculis lanatis. *Linn. Sp. pl. ed.* 2ª 1. *p.* 714. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1108. *Vill. Delph.* 3. p. 574. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 467. *Loisel. Fl. Gallic. p.* 303. *Poiret Encycl.* 5. *p.* 598. *Allion. Ped.* 1487.

Heptaphyllum argenteum alpinum trifoliatum, longius radicatum, saxatile sabaudum. *Boccon. Mus. p.* 20. *t.* 9. *mala.*

Quinquefolium alpinum, argenteum, erectum, foliis in apice incisis. *Tourn. Inst.* 297.

Trifolium alpinum pentaphylloides, ebeni cretici folio, flore albo. *Bocc.* (ex herb. Vaill.)

Fragaria alpina major, foliis argenteis acutis, flore roseo. *Tourn. Inst.* 296. (fide herb. vaill.)

Trifolium argenteum alpinum. *Pon. Bald. Raj. Hist.* 615. *Gesn. fasc.* 1. 63. *t.* 30. *n.* 99. *Bauh. pin.* 328.

Comaroides alpina petræa sericea, persici flore. *Seg. ver.* 1. *p.* 497.

Icon. *Jacq. Austr. app. t.* 25. *optim.*

Habit in alpibus Austriæ, Delphinatus, Sabaudiæ, in m. Baldo. ♃. (v. s.)

Ab affinibus P. *lupinoide* et *valderia* foliis plerumque trifoliatis, et caule unifloro, præter alias notas, differt.

52. P. SARMENTOSA. *W.*—P. foliis quinatis; foliolis obovatis grosse-serratis stipulis incisis bifidis, pedunculis unifloris axillaribus, caule procumbente sarmentoso. *Willd. enum.* 1. *p.* 554.

Hab. in Pensylvania. ♃.

Similis sequenti, differt: *foliis* obovatis nec cuneatis, serraturis ovatis acutiusculis, *stipulis* incisis bifidis, *pedunculis* constanter folio longe petiolato brevioribus, in ramis junioribus quidem primum longiores sunt, sed in P. reptante semper foliis longiores observantur. *Willd.* l. c.

53. P. REPTANS. *L.*—P. foliis quinatis; foliolis obovali-cuneiformibus serratis, stipulis indivisis, pedunculis axillaribus unifloris folio longioribus; caule sarmentoso.

P. reptans. *Linn. Sp. pl. ed.* 1ª 1. *p.* 499. *ed.* 2ª 1. *p.* 714. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1108. *Poiret Encycl.* 5. *p.* 595. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 461. *Loisel. Fl. Gallic. p.* 303. *Smith Brit.* 2. *p.* 551. *Besser Fl. Gall.* 1. *p.* 335. *Marsch. a Biberst. Taur. Cauc.* 1. *p.* 409. *Wahlenb. Fl. Carpath. p.* 158.

Quinquefolium vulgare. *Tabern. p.* 351. *Icon.*

Quinquefolium majus repens. *Bauh. pin.* 325. *Mapp. Als. p.* 256.

Pentaphyllum s. Quinquefolium vulgare repens. *Bauh. Hist.* 2. *p.* 397. *Icon.*

Icon. *Fl. Danic. t.* 164. *Engl. Dot. t.* 862.

Hab. in Europæ argillosis. ♃. (v. v.)

Caules plerumque rubentes. *Foliola* supra glabra, subtus ad nervos pilosa. *Stipulæ* lanceolatæ plerumque indivisæ interdum et denticulatæ. *Pedunculi* foliis duplo longiores. *Petala* obcordata calyce longiora. *Bracteolæ* lanceolatæ calycis laciniis æquales.

††† *Foliis trifoliatis.*

54. P. NEMORALIS. —P. foliis trifoliatis, caulinis petiolatis; foliolis cuneato-obovalibus inciso-dentatis, pedicellis solitariis elongatis, floribus tetrapetalis: caule filiformi procumbente.

Tormentilla reptans. *Linn. Sp. pl. ed.* 1ª 1. *p.* 500. *ed.* 2ª 1. *p.* 716. *Willd. Sp.pl.* 2. *p.* 1112. et auctorum.

P. procumbens. *Sibth.*

Icon. *Engl. Bot. t.* 864.

Habit. in Angliæ, Galliæ borealis, Germaniæ nemorum umbrosis. ♃. (v. s.)

Caules tenui-filiformes, procumbentes; *stipulæ* lanceolatæ, plerumque indivisæ, pedicelli rariores subcapillares adversi-folii: *bracteolæ* lineari-lanceolatæ lacinias calycis lato-ovales æquantes; *petala* cuneato-obcordata, calyce fere duplo longiora.

Variat floribus inferioribus subinde quinque petalis. *Smith. Brit.* 2. *p.* 553.

55 P. TORMENTILLA. — P. foliis trifoliatis, caulinis sessilibus; foliolis sublanceolato-ovalibus inciso-dentatis, pedicellis solitariis dichotomalibus lateralibusque, floribus tetrapetalis: caule suberecto dichotomo.

Tormentilla erecta. *Linn. Sp. pl. ed.* 1ª 1. *p.* 500. *ed.* 2. 1. *p.* 716. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1112. et auctorum.

Tormentilla *Bauh. Hist. c. Icon. Lobel. Hist. p.* 395. *c. Icon.*

Tormentilla sylvestris. *Bauh. pin.* 326.

Icon. fl. dan. *t.* 589. Engl. bot. t. 853.

Habit. in pascuis siccis Europæ. ♃. (v. v.)

Variat floribus quinquepetalis, interdum et flore pleno. *Smith. Brit.* 2. *p.* 553.

Aliam varietatem flore tripetalo, calycinis laciniis bracteolisque ternis in herbario cl. *Jussieu* vidi.

56. P. TRIDENTATA. *Ait.* — P. foliis trifoliatis; foliolis oblongo-cuneiformibus ad apicem subtridentatis, supra glabris; panicula laxiuscula, petalis ovalibus calyce majoribus; caule adscendente.

P. (tridentata) foliis ternatis cuneiformibus apice trifidis. *Ait. Kew.* 2. *p.* 216. *Tab.* 9. *Vahl. symb.* 2. *p.* 59. *Michaux Bor. Am.* 1. *p.* 302. *Poiret Encycl.* 5. *p.* 601. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1110.

P. (retusa) foliis ternatis hirtis, apice retuso tridentato. *Retz prodr. flor. scand. ed.* 2. *n.°* 642. *Flor. Dan. t.* 799.

Fragaria sterilis canadensis, foliis oblongis tridentatis *D. Sarrasin.* et

Fragariæ sylvestris affinis planta, flore luteo. *Scot. Ill.* 25. *Icon. t.* 6. *f.* 1. (fide herb. Vaillant).

Hab. in Groenlandia, Terra nova, inque montibus Canadæ et Carolinæ. ♃. (v. s.)

Caulis subsemipedalis assurgens s. etiam erectus, adpresso-pubens. *Stipulæ* lineari-subulatæ, integerrimæ: *foliola* obtusa aut subretusa ad apicem 3-5 dentata, suprema lanceolata, plerumque integra. *Flores* parvi: *bracteolæ* lineari-lanceolatæ laciniis calycinis ovalibus subbreviores. *Receptaculum* pilosum.

57. P. NORVEGICA. *L.* — P. foliis trifoliatis petiolatis; foliolis ovali-lanceolatis acute serratis; petalis calyce minoribus; caule erecto, simplici, hirsuto.

P. (norvegica) foliis ternatis, caule dichotomo, pedunculis

axillaribus. *Linn. Sp. pl. ed.* 1ª. 1. *p.* 499. *ed.* 2ª. 1. *p.* 715. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1109 (exclus. syn. Haller). *Poiret Encycl.* 5. *p.* 600. (exclus. syn. Haller. et Morison). *Hoffm. Fl. Germ.* 1. *p.* 236. *Mich. Bor. Am.* 1. *p.* 302. *et herbar.*

P. dichotoma *Mönch. meth. p.* 660.

Icon. fl. dan. *t.* 171.

Habit. in Norvegiæ, Sueciæ, Silesiæ, Borussiæ, Lusatiæ, Sibiriæ, Canadæ agris. ⊙. (v. s. h. R.)

Radix annua est, fibrosa. *Caules* plures pedales, primum erecti, teretiusculi, pilis patentibus : *Folia* ternata, petiolata, utrinque pilis patentibus adspersa, serrato-dentata : foliolis oblongis, venosis. *Rami* ex alis ; summus caulis per dichotomiam dividitur, et folia opposita subsessilia evadunt ; e divaricatione *pedunculi* nudi, uniflori. Calyces lobis exterioribus fere longioribus. *Petala* lutea, integra, uti stamina et pistilla, sed stigmata nigricantia. *Stipulæ* foliorum semicordatæ, incisæ aut dentatæ, præsertim in inferioribus. *Linn. Flor. Suec.* (ed. 2. p. 178.)

Obs. P. *norvegica* facile cum P. *ruthenica*, si folia primaria quinato-pinnata deficiunt, confunditur, ut supra jam monui : in utraque enim planta reliqua folia sunt trifoliata, caulis ad apicem dichotomus, et petala subrotunda calyce breviora. Denique simillima iterum sequenti, sed foliolis ovali-lanceolatis nec subrotundis diversa.

58. P. hirsuta. *Mich.* — P. foliis trifoliatis petiolatis ; foliolis subrotundis inæqualiter inciso-dentatis laciniatisve, laciniis obtusis ; petalis calyce minoribus, caule erecto, simplici, hirsuto.

P. (hirsuta) pilis rigidulis hirsutissima, erecta, simplex ; foliis trifoliatis obovalibus, sublaciniato-incisis : panicula pauciflora,

pedicellis brevibus : petalis albis (1) calyce minoribus. *Mich. Bor. Am.* 1. *p.* 303.

P. (Morisoni.) foliis ternatis, foliolis obovatis obtuse æqualiterque serratis, caule erecto multifloro. *De Cand. Catal. Hort. Monsp. p.* 135.

P. (monspeliensis) foliis ternatis, caule ramoso erecto, pedunculis supra genicula enatis. *Linn. Sp. pl. ed.* 1ª. 1. *p.* 499. *ed.* 2ª. 1. *p.* 714. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1109. *Persoon Synops.* 2. *p.* 56. *Poiret Encycl.* 5. *p.* 599. (omnibus exclusa patria.)

Pentaphylloides fragariæ folio. *Magn. Hort. Monsp.* 154. (fide herb. Tournef.)

Pentaphylloides majus erectum, flore luteo, ternis foliis fragariæ instar hirsutis. *Moris. Hist.* 2. *p.* 193. *n.*° 2. *s.* 2. *t.* 20. *f.* 2.

Fragaria sterilis alpina caulescens. *H. R. P.* (ex herbar. Tourn.)

Icon. *Tab. IX.*

Hab. in America septentrionali, a Quebec ad ostium fluminis St-Laurent. ⊙ (v. s.)

Obs. I. Incaute hæc species *monspeliensis* dicta fuit, nullibi etenim nec Monspelii nec in Europa reperta fuit : Magnolius hanc indicat non in Botanico, sed in Horto et citat hortum Blesensem Morisonii ; Morisonius autem dicit expressis verbis : semina communicata fuisse ex Virginia aut Canada. *De Cand. l. c.*

Obs. II. Comparatis speciminibus, tam sponte in America borcali nascentibus, quam in Carolina a b. Michaux cicuratis quæ in ejus herbario servantur, cumque illis P. *Morisonii* mihi per cl. De Candolle communicatis ; nullum equidem discrimen

(1) Ex errore procul dubio petala dixit *alba* b. Michaux, quum in speciminibus ejus herbarii omnino *pallidæ* sunt *lutea*.

inveni : conjungenda itaque ea credidi. Maxime enim verosimile est unam esse eandemque speciem, cujus semina ex Canada suo tempore ad Morisonium erant missa. Nomen Michauxi sub quo delineandam curavi, conservandum censui ; persuasum tamen mihi est, epitheta P. *hirta* et *hispida* quæ jam duæ aliæ species præ se ferunt, esse tollenda, illudque a De Candolle ipsi assignatum potius conservandum.

59. P. GRANDIFLORA. *L.* — P. foliis trifoliatis ; foliolis subrotundo-ovalibus inciso-dentatis, utrinque pilosis : petalis obcordatis calyce duplo longioribus, caule adscendente paucifloro.

P. (grandiflora) foliis ternatis dentatis, utrinque subpilosis, caule decumbente foliis longiore. *Linn. Sp. pl. ed.* 1ª. *p.* 499. *ed.* 2ª. 1. *p.* 715. (exclus. syn. Vaill.) *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1110. *Poiret Encycl.* 5. *p.* 599. *Persoon Synops.* 2. *p.* 56. (exclus. syn. Vaill.) *Allion. pedem.* 1489. (exclus. syn. Vaill. et Scopol.) *Vill. Delph.* 3. *p.* 562. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 463. *Loisel. Fl. Gall. p.* 304. *Lapeyr. Pyren. p.* 291. *Hoffm. Germ.* 1. *p.* 256. *M. a Biberst. Taur. Cauc.* 1. *p.* 409.

Fragaria foliis ternatis, sericeis, caule declinato, petalis calycem longe superantibus. *Hall. Helv. n.°* 1114. *t.* 21. *bona.*

Potentilla foliis ternatis, dentatis, utrinque subpilosis et viridibus, ovatis, serratis, obtusis. *Gmel. Sib.* 3. *p.* 183. *t.* 35. *f.* 1. (mediocr.)

Fragaria alpina latifolia, erecta, lutea. *Tournef. Herb.*

Fragaria sterilis alpina angustifolia. *Tournef. Inst.* 296. (fide herb. Tournef.) *Magnol. Hort. Monsp. p.* 80. *t.* 11.

Hab. in alpibus Helvetiæ, Galliæ, Sibiriæ, inque Pyrenæis. ♃. (v. v.)

Variat caule biunciali-pedali : sed foliis trifoliatis, foliolo medio petiolo proprio suffulto, ab affinibus constanter diversa.

Obs. A varietate γ. P. *vernæ*, s. P. *pyrenaica* De Cand. cui folia quinata trifoliataque, caute distinguenda, ut jam supra monui.

60. P. FRIGIDA. *Vill.* — P. foliis trifoliatis ; foliolis ovali-cuneiformibus serratis undique hirsutis ; petalis calycem vix æquantibus ; caule decumbente.

P. (frigida) foliis ternatis serratis hirsutis , petalis ovatis vix calyce longioribus. *Vill. Delph.* 3. *p.* 563. *Poiret Encycl.* 5. *p.* 602. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 462. (exclus. var. *β.*) *Loisel. Fl. Gall. p.* 305. *Lapeyr. pyr. p.* 290. sub P. subacauli. *Persoon Syn.* 1. *p.* 56.

P. helvetica. *Schleich. Cent.* (ex ipso Villars).

P. norvegica *Suter. Fl. Helv.* 1. *p.* 310. *Allion. ped.* 1488.

Fragaria foliis ternatis , hirsutis , caulinis tripartitis , stipulis ovato-lanceolatis. *Hall. Hist.* 1115. (exclusis synon. (1).

Trifolium saxatile hirsutissimum. *C. B. prodr.* 143?

Icon. t. 10. f. 3.

Hab. in summis alpibus Helvetiæ , Delphinatus , Pyrenæorum, ad nives æternas. ♃. (v. s.)

Radix crassa , vaginis antiquis rubentibus tecta. *Caulis* 2—3 uncialis , hirsutus , plerumque bi-raro triflorus. *Folia* radicalia petiolata , caulina in stipulis lanceolatis acuminatis sessilia ; *bracteolæ* ovales laciniis calycinis ovalibus æquales. *Petala* (lutea) subretusa , calyce breviora , interdum et calycem æquantia. *Receptaculum* parce pilosum. *Akenia* lævia.

OBS. A Pot. *subacauli L.* pube simplici nec stellulata , loco natali , ut reliqua taceam , distinctissima.

61. P. BRAUNIANA. *Hoppe.* — P. foliis trifoliatis ; foliolis subrotundis cuneiformibus , serratis , supra glabris , subtus ad orasque pilosis : petalis calycem superantibus , caule humifuso.

---

(1) Synonyma à Hallero allegata, ad P. *norvegicam* L. illud Barrelieri ad P. *cineream* pertinent.

P. (Brauniana) foliis ternatis : foliolis cuneiformibus serratis, caule declinato. *Hoppe. herb. Cent.* 2.ª *Persoon Syn.* 2. *p.* 56. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 462, sub P. frigida. *Hoffm. Germ.* 1. *p.* 234, sub P. verna.

P. minima. *Hall. fil. Schleich.Cent.* Fragaria helvetica nana. *Park.º ex descript. Raj. Hist.* 1. *p.* 610.

Fragaria flore luteo. *C. B. pin.* 327 ?

Icon. tab. 10. f. 4.

Hab. in summis alpium jugis, Salisburgi, Helvetiæ. ♃. (v. v.)

Inter congeneres minima. Exeunt *e radice* crassa cauliculi 2—3, unciales vel biunciales, graciles, pilosi, uniflori, aut rarius biflori. *Foliola* in omnibus a me visis speciminibus supra constanter glabra, nitidula, subtus ad nervos marginemque pilis albis rigidis tecta; ad cauliculos folium unicum vel alterum trifoliatum in stipulis ovalibus acuminatis breviter petiolatum. *Bracteolæ* ovales, laciniis calycinis semilanceolatis paulo breviores. *Corolla* (respectu plantæ pygmææ) magna, petalis (luteis) subretusis, calyce dimidio longioribus. *Receptaculum* parce pilosum.

Obs. A Pot. *frigida* Vill. cui proxima, magnitudine corollæ nec non glabritie foliorum constanter diversa. Elegantissimam plantulam in monte *Untersberg* prope Salisburgum junio 1810 abunde legi, ubi nulla Pot. *frigida.*

62. P. subacaulis. *L.* — P. foliis trifoliatis; foliolis obovali-cuneiformibus crenatis, pube stellulata utrinque dense tomentosis; petalis obcordatis calycem superantibus, caule decumbente pauciflore.

P. (subacaulis) foliis ternatis dentatis utrinque tomentosis, scapo decumbente. *Linn. Sp. pl. ed.* 1ª. *p.* 500. *ed.* 2ª. *p.* 715. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1111. (exclus. syn. Vill.) *Poiret Encycl.* 5. *p.* 602. *Vill. Delph.* 3. *p.* 562. (1) *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 463. (exclus. syn. Pollich.)

(1) Qui plantam locis a Barreliero indicatis legit.

Loisel. Fl. Gall. p. 305. *M. a Bieberst. Taur. Cauc.* 1. *p.* 409. *Wahlenb. Fl. Carpath.* 158.

P. grandiflora. *Scop. Carn.* 626. *t.* 22. (ex Jussieu.)

Fragaria sterilis molli lanugine pubescens. *Gmel. Sib.* 3. *p.* 183. 34. *t.* 36. *f.* 2. *Amm. ruth. p.* 84. *n.°* 110.

Trifolium montanum, luteo tormentillæ flore, cineraceum. *Barrel. Icon.* 710.

Fragaria sterilis sylvestris, sericea incana. *Moris Hist.* 2. *p.* 187.

Pentaphylloides fruticosum minimum procumbens, flore luteo, foliis ternis fragariæ incisis. *Plukn. Phyt. t.* 212. *f.* 3. et

Fragariæ affinis planta, non scripta. *Sibbald. Scot. ill. t.* 6. *f.* 1. (ex herb. Vaill.)

Pentaphylli effigie Leucas quibusdam. *Bauh. Hist.* 2. *p.* 398. *c. Icon.*

Incana Pentaphylli effigie an Leucas. *Dioscor. Adv.* 307. (fide herb. Vaill.)

Fragariæ affinis sericea s. incana. *Bauh. prodr.* 139. *pin.* 327.

Icon. *Jacq. Ic. rar. t.* 491. *egregia.*

Hab. ad rupes inque sterilibus, Sibiriæ, Caucasi, Carpathorum, in Gallia australi, Hispania. ♃. (v. s.)

Tota planta pube stellulata, intermixtis pilis simplicibus dense tomentosa. *Caulis* decumbens uni-biflorus, rarius triflorus. *Folia* trifoliata, rarius quaterna, rarissime quinata. *Stipulæ* lanceolatæ acuminatæ. *Bracteolæ* ovales, calycis laciniis semilanceolatis longitudine æquales. *Corolla* lutea. *Receptaculum* villosum.

Obs. I. An ab hac diversa, P. *subacaulis corollis albis*, cujus verba fecit cl. Gmelin (*Fl. Bad.* 2. *p.* 450.) in Arragonia lecta, et in hort. Carlsruhano pluribus abhinc annis cicurata?

63. P. Bocconi. — P. foliis trifoliatis; foliolis ellipticis integerrimis, ad apicem conniventi-tridentatis, utrinque sericeo-canis; caule adscendente paucifloro.

Fragaria alpina major, foliis argenteis obtusis, flore roseo. *Tournef. Inst. p.* 296.

Heptaphyllum trifoliatum, argenteum, montanum, italicum, longius radicatum, crassioribus et rotundioribus foliis. *Boccon. Mus.* 2. 20.

Heptaphyllum trifoliatum argenteum italicum. *ejusd. t.* 8. (figura mala.) *Mich. pl. Rom. et Neap. n.°* 957. (fide herb. Vaill.)

Icon. *Tab.* 10. *f.* 2.

Habit. in Apenninis. ♃. (v. s. h. Mus. Paris.)

Radix perennis nigra, obliqua. *Caulis*, folia, petioli calycesque sericeo-canescentes. *Folia* omnia radicalia longiuscule petiolata foliolis sessilibus. *Stipulæ* lanceolatæ acuminatæ. Caulis biflorus (an constanter?). *Bracteolæ* lanceolatæ acuminatæ, laciniis calycinis subrotundo ovalibus longiores. *Petala* videre non licuit. *Receptaculum* villosum. *Akenia* nigra, nitida, rugulosa.

Obs. Rarissimæ plantæ specimen unicum absque petalis in Musæo Parisino vidi, et inde iconem delineandam curavi.

Ex descriptione Bocconi (1) patet, hanc stirpem provenire in monte *Norica* prope lacum *di Pilato*, in monte *Vedore* prope *Sassatelli* et ad speluncam *Sibylæ*, regni Neapolitani.

64. P. nivea. *L.* — P. foliis trifoliatis; foliolis obovali-cuneiformibus inciso-dentatis, supra pilosis, subtus niveo-tomentosis; caule adscendente paucifloro.

P. (nivea) foliis ternatis incisis subtus tomentosis, caule ads-

(1) Mus. di piante rare, etc. Venet. 1697. p. 20.

cendente. *Linn. Sp. pl. ed.* 1ª. 1. *p.* 499. (exclus synon.) *ed.* 2ª. 1. *p.* 715. (exclus. syn. Amman.) *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1109. (exclus. Var. β.) *Poiret Encycl.* 5. *p.* 600. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 462. *Loisel. Fl. Gall. p.* 304.

P. foliis ternatis, utrinque hirsutis, infra candidis, foliolis ovatis serratis. *Gmel. Sib.* 3. *p.* 183. *t.* 36. *f.* 1. *mediocr.*

Fragaria sterilis folio subtus argenteo. *Amm. Ruth. n°.* 111.

Icon. *Gunn. Fl. Norveg. t.* 3. *f.* 1.

Hab. in alpibus Lapponiæ, Sibiriæ, Helvetiæ, Delphinatus. ♃. (v. v. h. A.)

65. P. BETONICÆFOLIA. *P.* — P. foliis trifoliatis ; foliolis ellipticis crenatis supra glabris, subtus niveo-tomentosis ; caule filiformi adscendente paucifloro.

P. (betonicæfolia) pumila, foliis ternatis ellipticis crenatis ; caule suberecto simplici, filiformi ; pedunculis capillaribus, floribus minimis, petalis integris calyce multo longioribus. *Poiret Encycl.* 5. *p.* 601. *Pers. Syn.* 2. *p.* 56.

Fragaria sterilis, procumbens, foliis betonicæ instar serratis. *Amm. Ruth.* 109. *t.* 14. *f.* 2. *bona. Gmelin Sib.* 3. 184. (ex synonymo Ammani, sed non ex figura, quæ pessuma.)

P. leucophylla. *Pall.* (ex herb. Juss.)

Hab. in Sibiria. ♃. (v. s. h. Juss.)

Simillima præcedenti, diversa tamen : *Caule* graciliore, pedunculisque setaceis ; *foliolis* ellipticis margine revolutis, dentibus obtusis, *petalis* calyce duplo longioribus.

66. P. SPECIOSA. *W.* — P. foliis trifoliatis ; foliolis ellipticis ad apicem serratis supra pubentibus, subtus niveo-tomentosis ; caule adscendente corymboso, basi fruticoso.

P. (speciosa) foliis ternatis ellipticis obtusis dentatis subtus tomentosis, caule fruticoso. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1110.

Fragaria cretica fruticosa, folio subtus argenteo. *Tournef. Coroll.* 21. *et Herbar.*

Icon. tab. 11.

Habit. in Creta. ♄. (v. s. h. Tournef.)

Caulis fruticosus humilis, ramis crassitie pennæ cygneæ brunneis, cortice rimoso sua sponte decidente tectis. *Folia* magnitudine et figura Fragariæ vescæ superne pubescentia, subtus niveo-tomentosa. *Petioli* albo-tomentosi. *Stipulæ* lanceolato-acuminatæ scariosæ. *Corymbi* longe pedunculati, foliis binis alternis remotis simplicibus instructi. *Pedunculi* valde tomentosi. *Calyx* tomentosus magnitudine corollæ albæ. Willd. l. c.

Foliola basi integerrima ad apicem tantum serrata. Petala (alba) spathulata, calycem æquantia. Bracteolæ ovali lanceolatæ, laciniis calycinis ovalibus acuminatis parum longiores.

67. P. Vaillantii. — P. foliis trifoliatis; foliolis ovali-oblongis ad apicem conniventi-serratis, supra pilosis, subtus sericeo-canis; petalis obcordatis calyce duplo majoribus; caule sarmentoso.

P. nitida. *Thuill. Paris.* non Linn.

P. splendens. *Ramond in De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 467. *Loisel. Fl. Gallic.* 1. *p.* 304.

P. emarginata. *Hort. Paris.* (fide herb. Desfont.)

P. semidentata. *Juss. herb.*

Fraga Vaillantii. *Lapeyr. Pyr. p.* 287.

Fragaria sterilis amplissimo folio et flore, petalis florum cordatis. *Vaill. Bot. Par. p.* 55. *t.* 10. *f.* 1. *optima*, et

Fragaria sterilis foliis subtus incanis, magno flore albo. *Vaill. l. c.* (fide herb. Vaill.)

Fragaria sterilis incana. *H. r. p.* (ex herb. Tournef.)

Quinquefolium foliis ternis præcedenti simile. *h. Cath.* (herb. Vaillant).

Icon. Vaillant l. c.

Hab. in pascuis siccis, in sabulosis circa Parisios, Burdigalam, Aureliam, in montibus Galloprovinciæ, Pyrenæorum, inque Gallia occidentali. ♃. (v. v.)

Caulis sarmentosus, lignosus, divaricatus. *Folia* radicalia longe petiolata, petiolo patenti-piloso; foliola brevissime petiolata, interdum et sessilia, ad medium usque integerrima, ad apicem conniventi-serrata, dente terminali minimo. *Stipulæ* lanceolatæ, acuminatæ scariosæ. Caules floriferi decumbentes, filiformes patenti-pilosi plerumque triflori. *Bracteolæ* lineari-lanceolatæ, acuminatæ, laciniis calycinis semi-lanceolatis æquales. *Petala* candida. *Receptaculum* valde pilosum. *Akenia* lævia.

Obs. I. Variat in sterilissimis, inque excelsis Pyrenæorum, caule unciali, unifloro, foliolisque minimis.

Obs. II. Species hucusdum in Germania nondum obvia.

68. P. Fragaria. *Poiret.* — P. foliis trifoliatis; foliolis obovalibus retusis, inciso-serratis, undique sericeis; petalis obcordatis calycem æquantibus; caule filiformi decumbente.

P. (*Fragaria*) foliis ternatis, subsericeis; petalis obcordatis calycis longitudine, caule decumbente. *Poiret Encycl.* 5. *p.* 599. *De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 468.

Fragaria *(sterilis)* caule decumbente; ramis floriferis laxis. *Linn.*

Sp. pl. ed. 1ª 1. *p.* 495. *ed.* 2ª 1. *p.* 709. *Ait. Kew. ed.* 2ª 3. *p.* 275. *Loisel. Fl. Gall. p.* 299.

Fragaria *(sterilis)*, petalis obcordatis calycis longitudine, receptaculo sicco, pubescentia petiolorum et pedunculorum patentissima, caule decumbente. *Willd. Sp. pl.* 2. *p.* 1093. *Marsch. a Biberst. Taur. Caucas. p.* 403. et auctor.

P. fragariastrum. *Ehrh. Beitr.*

P. fragarioides. *Vill. Delph.* 3. *p.* 561.

P. fragariæfolia. *Gmel. Bad.* 2. *p.* 453.

P. prostrata. *Mönch. meth. p.* 660.

P. parviflora. *Hort. Par.* (fide herb. Desf.)

Comarum fragarioides. *Roth. Germ.* 2. *p.* 577. *Willd. enum.* 1. *p.* 558. *Spreng. Hal. p.* 148.

Fraga sterilis. *Lapeyr. pyr. p.* 287.

Fragaria, caule prostrato, foliis ternatis, retusis, sericeis. *Hall. Helv.* 1113.

Fragaria sterilis. *C. B. pin.* 327. *Mapp. Als. p.* 111.

Fragaria non fragifera, non vesca. *Bauh. Hist.* 2. *p.* 395. *Icon.*

Fragaria mas sterilis minor. *Gesn. fasc.* 1. 62. *t.* 30. *n°.* 99. (ex Vill.)

Fragaria sylvestris minime vesca s. sterilis. *Lob. Ic. t.* 698. *f.* 1.

Icon. *Engl. Bot.* 1785.

β. P. (micrantha), foliis ternatis, foliolis ovatis obtusis basi inæqualibus, petiolis hirtis, pedunculis subunifloris, petalis calyce minoribus. *Ramond in De Cand. Fl. Fr.* 4. *p.* 468. *Loisel. Fl. Gall. p.* 304.

Habit *α* in sylvarum siccis, Germaniæ, Helvetiæ, Galliæ, Angliæ, *β.* in rupibus summis Pyrenæorum. ♃. (*α* v. v. *β* v. s. h. R.)

Similis præcedenti, sed toto cœlo diversa : *Caule* decumbente nec sarmentoso ; *foliolis* retusis, medio cuneiformi, binis latera-

libus obliquis ; caule florifero uni-rarius bifloro : *corolla* minore, *bracteolis* lineari-lanceolatis calycis laciniis semi-lanceolatis dimidio brevioribus.

Obs. Var. β. adeo proxime ad *Pot. fragariam* accedit, ut sola parvitas corollæ differentia videatur. *Sprengel Pugill. pl. min. cognit. p.* 36.

TABULA POTENTILLARUM CHRONOLOGICA.

Ante 1530.	Brunsfels.	P. Anserina, reptans, Tormentilla.
1541.	Fuchs.	argentea, alba.
1552.	Bock, s. Tragus.	rupestris, verna, Comarum, recta.
1591.	Lobel.	Fragaria.
1595.	Pona.	nitida.
1601.	Clusius.	aurea, supina, clusiana.
1655.	Morison.	grandiflora.
1671.	Casp. Bauhin.	multifida, opaca, caulescens.
1680.	Morison.	canadensis, nemoralis, subacaulis.
1686.	Joh. Rajus.	fruticosa, hirta.
1694.	Boccone.	Bocconi.
1703.	Loesel.	norvegica.
1714.	Barrelier.	cinerea.
1719.	Tournefort.	pimpinelloides, cicutariæfolia, bifurca, geranioides, alchemilloides, speciosa.
1727.	Boerhaave.	pensylvanica.
1739.	Amman.	betonicæfolia, verticillaris.
1747.	Vaillant.	Vaillantii.
1753.	Linné.	sericea, fragarioides, stipularis, valderia, intermedia.
1766.	Gunner.	nivea.
1781.	Jacquin.	astracanica.
1789.	Villars.	canescens, lupinoides, frigida.
1795.	Retzius.	tridentata.

Ante 1799.	Willdenow.	P. obscura, ruthenica.
1800.	Hoppe.	Brauniana.
1803.	Michaux.	hirsuta, simplex.
1804.	Desfontaines.	incisa.
1804.	Waldst. et Kit.	laciniosa, patula.
1808.	Marsch. a Biberstein.	agrimonioides, geoides.
1809.	Willdenow.	Salesovii, hispida, sarmentosa.
1813.	De Candolle.	divaricata.
1813.	Lapeyrouse.	heterophylla.
1816.	Humboldt et Bonpland.	candicans, ranunculoides, comaroides.
1816.	Nestler.	Dombeyi, davurica, pedata.

III.

USUS MEDICUS

POTENTILLARUM IISQUE AFFINIUM.

Potentillarum genus proprie sic dictum, pauca arti medicæ præbet auxilia. Si Potentillam reptantem, Anserinam, et Tormentillam excipias, omnino virtutis medicæ expertes censentur ceteræ species.

Ex affinibus, Geum urbanum nec non rivale, principiis medicamentosis instructa se præbent. De illorum in corpore animali effectibus, plures observationes referre suscipiam.

Potentillæ, adstringentibus pharmacis merito adnumerantur, quia eorum decoctum affusa solutione ferri sulphurici nigrescit, et sensum adstrictionis in ore producit, id quod principio adstringenti chemicis gallicis *tannin* sic dicti, non immerito est tribuendum.

1.° Potentilla reptans. *L.*

Radix et herba in officinis sub nomine *pentaphylli* (la quintefeuille) servantur, obsoletæ vero sunt factæ.

Notandum est tamen Hippocratem jam observasse a pentaphylli radice (1) febres intermittentes fugari. Nec sequentibus temporibus

(1) De morbis, lib. 2. p. 473. ed. *Foës.*

in contemptu habita fuit potentilla in harum febrium curatione neque a medicis neque a plebe variis in locis (1).

Ill. Senac (2) virtutem antifebrilem hujusce herbæ experimentis comprobavit, sed in febribus pertinacibus solum illam adhibere admonuit.

In diarrhæa et dyssenteria quoque feliciter exhibetur radix, etiam cum evacuatio per ipecacuanham non suffecit, testante Chomel (3).

Usui interno vel pulvis vel decoctum commodam formam suppeditat. Pro gargarismate decoctum radicis inservit quando adstringentia lenia ad resolutionem adjuvandam vel putredinem corrigendam indicari queunt. Folia vero radice sunt inertiora (4).

Ad dolores itaque dentium ab intemperie calida tenuique sero radices dentium lancinante natos, quinquefolii radicem commendat Simon Paulli (5), ut illius decocto os proluatur.

2.° Potentilla Anserina. *L.*

Inter adstringentia multo valentiora paulatim obsolevit Potentilla Anserina.

Inhæret huic herbæ astringens ac tonica vis, quod demonstratur sapore ac præsertim colore nigro, quem decoctum ferro sulphurico admixtum suffundit.

Non defraudanda est suo merito in coercendis alvi profluviis a laxitate intestinorum oriundis. Ab ista herba cum jusculo cancrorum

---

(1) *Raj.* Hist. plant. t. 1. p. 611.

(2) De re condita febr. intermitt. natur. p. 185.

(3) *Plantes usuelles* t. 2. p. 296.

(4) *Murray.* App. med. t. 3. p. 139.

(5) Quadripart. botan. p. 128.

cocta miros effectus in fluore albo se ipsum vidisse Tournefortius affirmat (1).

Ad sistendum hæmorrhagias internas a quibusdam medicis laudatur.

Succum expressum, linteo complicato exceptum et fronti applicatum, sanguinis ex naribus stillicidium sistere refert Vogelius (2). Sed potius id mihi videtur frigori tribuendum, quia aqua gelida similem producit effectum.

Extant etiam experimenta e quibus liquet ægros tabe laborantes ab istius herbæ decocto fuisse sanatos (3); et Bergius (4) multum auxilii ex succo expresso et infuso herbæ in empyemate observasse dicitur. Sed paucæ hæ et rariores observationes vix aliquid probant; quam ob rem ut infidum remedium hodie his in morbis negligitur.

3.° Potentilla Tormentilla. *s. Tormentilla erecta. L.*

Sapore styptico et subaromatico gaudet Tormentillæ radix. Aquæ ac spiritui vini adstringentem vim impertitur, huic abundantius. Maxima stypticitas in extracto resinoso hæret, decoctum aquosum turbidum fit et resinosæ partes subsidunt.

Infusum, colorem rubrum; aqua cum radice destillata odorem saporemque rosaceum præ se fert (5).

Tanto Tormentillæ radix principio tannino abundat, ut ad rem coriariam in insulis Faroensibus nec non Orcadibus adhibeatur, teste Bartholino (6).

---

(1) *Histoire des plantes de Paris*, I. p. 56.
(2) Mat. med., p. 55.
(3) *Murray*, App. med. t. 3. p. 136.
(4) Mat. Med. p. 442.
(5) *Neumann* Chemie *B.* 2, th. 4. p. 485.
(6) *Linn.* Amœn. acad. I. p. 3.

In morbis a nimia laxitate fibrarum et a debilitate in genere; ut in diarrhæa chronica, in hæmorrhagiis passivis, in scorbuto auxilium promittit. Sed ægris prudenter est administranda.

A rusticis in Belgia ad hæmaturiam pecorum sistendam adhibetur (1).

Multum suæ famæ deperdidit propter usum intempestivum in dysenteriis ac febribus intermittentibus, neglectis præmittendis.

Circumforanei, testante Loeseke (2), sæpe hac radice febres intermittentes inopportune suffocant. Sumitur in pulvere a granis decem ad scrupulos duos, vel in decocto ex radicis drachmis duabus in aquæ libris duabus parato. Principium tanninum optime hoc modo extrahitur.

In dysenteria asthenica, ubi a communibus auxiliis dejectiones alvinæ non minuuntur, sed pulsus et vires magis concidunt, ut nullus inflammationis accidentis metus supersit, cel. Quarinus (3) multis ægrotantibus sequens medicamen profuisse testatur :

Rp. Conserv. rosar. rubr.
Syrup. Myrtillor. ää drachm. sex.
Pulv. rad. Tormentill. drachm. un.
Ipecacuanh. drachm. sem.
Opii pur. gran. quatuor.

M. exactissim.
Sumat singulis aut altera quavis hora æger drachmam unam.

Eodem tempore enemata ex decocto radicis tormentillæ, additis gummi arabico et camphora, adhibere jussit.

In uvulæ porro relaxatione, dentibus cruentatione vacillantibus, et in varii generis prolapsibus externa ejusdem decocti applicatio

---

(1) *Gorter* in Linn. Fl. Suec. p. 459.
(2) Auserlesene Arzneymittel p. 417.
(3) Animadv. practic. in divers. morb. p. 154.

præsidio est. Valet et ad ulcera chronica cum relaxatione solidorum consolidanda.

Anglæ pastores observasse Tormentillæ radicem oves morbis contagiosis præservari refert Pulteney (1).

4. Potentilla verna. *L.*

Ab incolis littorum Ligeris in Gallia occidentali contra scabiem equinam adhiberi, indeque *la farcinière* vocari, mihi clariss. de Jussieu in colloquiis benigne communicavit.

5. Geum urbanum. *L.*

Caryophyllaceum spirat odorem radix recens et e solo sicco lecta, quam ob rem *caryophyllata* vulgo dicitur. Sapor austerus est et amarus.

Principio extractivo amaro æque ac adstringente abundat, etiam oleum æthereum continet caryophyllaceum odorem exhalans.

Cel. Bouillon-Lagrange per analysin chemicam (2) ex radice principium tanninum, resinam et *gallicum* elicuit acidum. Constat ab ejusdem experimentis maximam existere analogiam inter radicem caryophyllatam et peruvianum corticem, quod singulis diebus clinicæ observationes confirmant. Hodiernis temporibus ob corticis peruviani raritatem pretiumque insigne radix caryophyllata merito est adhibenda.

Certe non Cinchonæ vicem præstat, tamen primum inter medicamina amaro-adstringentia tenet locum, et præcipue ad usum pauperum convenit.

---

(1) *Esquisse historique etc. des progrès de la botanique en Angleterre.* t. 1. p. 83.

(2) *Annal. de chim.* t. 54. p. 287.

Longe jam ante seculum ab Anglo medico Hulse (1) decoctum radicis caryophyllatæ (uncias duas in aq. font. libr. duab. ad quartæ partis consumptionem) adversus febres intermittentes præsertim tertianas, duabus horis ante paroxysmum vel in ipso paroxysmo optimo cum successu fuit propinatum.

Decoctum vino factum initio horroris exhibitum sudorem movere et una cum hac prompte febrem sanare refert Chomel (2).

Inter varia experimenta, ad virtutes medicas radicis caryophyllatæ enucleandas, quæ a medicis Hafniensibus instituta fuerunt, notatu sunt dignissima.

Pleraque celeb. Buchhave (3) auctorem habent et vim febrifugam radicis confirmant. Hominibus multiplicis ætatis et conditionis et utriusque sexus subvenit, præsertim in febribus autumnalibus et pertinacissimis febris intermittentis speciebus. Mirum sæpe absque ulla prævia evacuatione hoc remedium subinde totam morbi vim fregisse, non rediisse febrem, etiam si remedii continuatio sit neglecta. Diætæ rigorem requiri nullum, nec unquam nocuit.

Plures medicorum gallicorum germanicorumque æque bono successu Geum urbanum in febribus intermittentibus dederunt.

Göttingæ tentata radix ex voto legitur, sed paucis exemplis, quorum unum spectat ad tertianam alterum ad semi tertianam (4).

Multas etiam observationes felicis exitus collegit Weber, Prof. Kiloniensis (5).

---

(1) *Raj.* hist. pl. t. 1. p. 607.

(2) *Plantes usuelles*, t. 2. p. 140.

(3) Observat. circa rad. Gei urban. s. Caryophyll. vires in febribus præcipue intermittentibus. Hafniæ 1781. in 8. c. fig.

(4) *Anjou*, de rad. caryophyllat. Dissert. Gotting. 1783.

(5) De nonnullar. febrifugor. virtute, et speciatim Gei urbani rad. efficacia. Diss. inaug. resp. Koch. Kilon. 1784.

Haud pauca quoque adfert exempla D.r Renard Moguntinus (1), quibus se febres intermittentes quotidianas, tertianas, quartanas, etc., variis sub formis sanavisse dicit.

Decoctum saturatum radicis Gei urbani remediis volatilibus excitantibus, camphoræ, opio, ætheri sulphurico associatum, febres intermittentes et remittentes feliciter curare affirmat cel. Horn (2), prof. Berolinensis, nec non D.r Kreyssig (3).

Recentissime D.r Verbert, societati Scholæ med. Paris. tentamen de Gei urbani usu medico subjecit, multa feliciter instituta continens experimenta, quæ a DD. de Jussieu et Husson fuerunt confirmata (4).

Dolendum tamen est alios medicos ex hoc medicamine non eundem obtinuisse eventum. Plerique ægrorum curæ celebr. D.r Lund commissorum, non neglectis etsi evacuantibus, vomitu remedium rejecerunt, saltem nauseam inde passi sunt, nemo inde febre liber evasit, quam tamen cortex peruvianus ejus invicem exhibitus devicit. Non multo mitius est celebr. Brandelii judicium, qui inter triginta supraque casus in quibus hocce Geum tentavit, queritur quater modo sibi successisse et quidem in febre autumnali (5).

Eodem tendunt querelæ, sed paucis modo exemplis nixæ, cel. Cristopherson, Barfoth, Acrel, Dalberg, et recentissime D.r Chau-

---

(1) Innlændische surrogate der China-Rinde. Maynz 1809, p. 119-134.

(2) Handbuch der practisch. Arzneym. Lehre p. 752.

(3) *Horn's* Archif für medicinische Erfahrung. Band 4.

(4) Alibert, *Nouveaux Elémens de thérapeutique et de matière médicale*, 2.e éd. t. 1. p. 18.

(5) *Murray*, App. med. t. 3. p. 129.

meton, qui frustra tentavit remedium in febre tertiana duplicata; apud Dom. *Saxe*, pharmacopæum militarem, qui peruvianum repugnabat corticem. Sumsit ille pulveris tenuissimi drachmas tres ad unciam dimidiam in apyrexia; sed paroxysmus novo cum vigore rediit, denique tandem per corticem fuit fugatus (1).

De his paucis enim infaustis observationibus non est concludendum, geum urbanum omni vi febrifuga carere. Sat notum, cortici ipso febres interdum reluctari, vel eodem suppressas post breve spatium iterum iterumque redire.

Gei urbani autem administratio plures requirit cautelas; tempore verno radix est colligenda, solo sicco crescens et caute aëre siccanda; nam si nimio calore exsiccatur, una cum eo vis febrifuga sufflaminatur. Virtute quoque radicis crassior pars fibris antistat. Plus præstat montanis locis lecta quam ex hortis sumta: necesse est illi associare remedia excitantia volatilia et in larga dosi præbere, scilicet a drachma dimidia ad drachmas tres. Neglectis his conditionibus, non mirum febrem remedio resistere. Denique addendum cel. Buchhave (2) essentiam gei urbani sæpe cum successu ægris suppeditasse; quæ, scilicet hora ante paroxysmum exhibita, frigus ita aliquando præoccupavit ut vel nulla febris vel mitis modo calor insequatur.

Paratur Ess. Gei ex radicis unciis quatuor, quæ digeruntur in spiritus vini gallici libris duabus. Dosis drachmæ duæ aut tres.

In morbis variis præterea a debilitate oriundis, geum urbanum egregium tonicum suppeditat, quod a DD. Fritze, Hertz, Weber, Reil, Horn, Kreyssig et aliis maxime laudatur.

---

(1) *Flore médicale, décrite par* Chaumeton, *peinte par* Turpin, 17.e livraison, p. 25.

(2) Op. cit.

Profluviis mucosis, leucorhææ, diarrhææ chronicæ, atrophiæ, scrophulis ac rachitidi, morbis chronicis nervosis, spasticis et hystericis affectionibus, colicæ flatulentæ, quin tussi convulsivæ, etiam hemorrhagiæ ex variis viis, utero, ventriculo, urinariis, pariter medelam attulit; necnon vires deficientes, febribus acutis superatis, erigit.

Infusum vinosum, ex unciis duabus vel tribus radicis recentis et libra una vini paratum, in atonia ventriculi optimum præbet adjumentum et pretiosa supplet exotica remedia (1).

Weber (2) de juvene meminit, qui fluxu genituræ per annum laborans, aliis cæterum congruis frustra tentatis, pulvere radicis et infuso ejus ex vino rubro gallico, sanatus fuit.

6. Geum rivale. *L.*

Inodora radix, sed gustui austera. Kalm in itinere per Americam septentrionalem certior est factus, radicem gei rivalis apud incolas adversus febres intermittentes esse in usum. Hi quidem vel pulvere utuntur, vel infuso aquoso aut vinoso; tantamque auctoritatem apud illos sibi conciliavit, ut ipsa cinchona eam efficaciorem pronuncient.

Cl. Bergius ad examinandum hujus Gei vires plurima instituit experimenta, ex quibus elucet tam in tertiana febre quam in quotidiana et quartana profuisse; præcedere debet autem corporis justa per resolventia vel commoda evacuantia præparatio.

In aliis quoque morbis, præsertim in diarrhæa diuturna, in

---

(1) *Neurohr*, Versuch einer einfachen pract. Arzneym. Lehre. Heidelb. 1811, p. 75.

(2) Dissert. citat.

labe varia ventriculi ex laxitate ejus oriunda, non est spernenda.

Hevermann (2) extractum radicis diarrhææ leviori sufficere expertus est.

---

(1) Vermischte Bemerkungen und Untersuchungen der Arzneywiss. B. 1. p. 215.

HIPPOCRATIS APHORISMI

(*Edente* BOSQUILLON).

I.

Quibusdam semel aut bis, et aliis copiosior aut paucior, aut per partes cibus offerendus est. Aliquid autem et tempori, et regioni, et ætati, et consuetudini concedendum. *Sect.* 1. *aph.* 17.

II.

Æstate et autumno cibos gravissime ferunt : hyeme facillime; deinde vere. *Ibid. aph.* 18.

III.

Tempestatum anni mutationes potissimum morbos pariunt, et in ipsis anni tempestatibus magnæ mutationes aut frigoris, aut caloris, aliaque pro ratione ad hunc modum. *Sect.* 3. *aph.* 1.

IV.

Autumnus tabidis malus. *Ibid. aph.* 10.

V.

Tabes maxime fit ætatibus quæ sunt ab decimo-octavo anno ad tricesimum quintum. *Sect.* 5, *aph.* 9.



POTENTILLA.





DALIBARDA



Richard del.

WALDSTEINIA.

Poiteau sculp.

COMAROPSIS.